ANATOMIA
RIDICVLI MVRIS,
HOC EST
DISSERTATIVNCVLÆ
I. B. MORINI ASTROLOGI

ADVERSVS EXPOSITAM à P. Gassendo Epicuri Philosophiam.

Itémque obitèr, Prophetiæ Falsæ à Morino ter euulgatæ, de morte eiusdem Gassendi.

Per FRANCISCVM BERNERIVM Andegauum.

Accessit Ode, & Palinodia de eodem Morino per Bellilocum iteratò edita.

PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ, sub signo Phœnicis.

M. DC. LI.
Cum Priuilegio Regis.

Errata Emendanda.

PAgina 15. linea 9. tribui. p. 23. l. 16. misere. p. 23. l. 36. poterunt. p. 29. l. 36. molles. p. 35. l. 22. necesse. p. 47. l. 32. molem. p. 49. l. 20. deprimitur. p. ead. l. 32. petiit. p. 50. l. 35. tenebam. p. 64. l. 23. ex qua. p. 71. l. 19. imprudens. p. 83. l. 2. es. p. 88. l. 21. Aristoteleum. p. 112. l. 31. ore. p. 114. l. 29. quam. p. 116. l. 15. ἀίδιον. p. 119. ἐξ ὃ ἦν. p. eadem. l. 25. Nazianzenus. p. 120. l. 28. probatur. p. 125. l. 1. concipiat. p. 144. l. 33. non-ne os. p. 152. l. 34. ignarum. p. 154. l. 28. subiicis. p. 165. l. 16. infœlicium. p. 167. l. 37. ipsisne. p. 181. l. 33. exstiterit. p. 182. l. 30. pulice. p. 185. l. 32. militiam. p. 189. l. 17. Ecquaenam. 197. l. 4. inquit. p. ead. l. 15. Epicureis. Cetera aequus Lector condonabit.

ANATOMIA

RIDICVLI MVRIS,

HOC EST

DISSERTATIVNCVLÆ

I. B. MORINI ASTROLOGI

ADVERSVS EXPOSITAM A P. Gaſſendo Epicuri Philoſophiam.

TAndem aliquando, Chariſſime Capella, parturierunt montes. Rogaſti me nuper, cùm in Italiam diſcederes, vt ſi quando Aſtrologus Morinus Giganteum illum ſuum partum, quem pridem aduersùs Epicuream Philoſophiam à noſtro Gaſſendo expoſitam conceperat, eniteretur; quid id monſtri foret, ad te ſcriberem. Enixus eſt itaque, & non ſolùm quidem poſt nouem, ſed etiam poſt bis nouem menſes, à quibus erat grauidus; at non monſtrum horrendum ingens; ſed mus ridiculus natus eſt. Speràſſes ex illa tam diuturna geſtatione proditurum tandem quemdam Herculem monſtrorum terræ domitorem: Verùm fatetur ipſe-met nihil aliud denique ſe potuiſſe edere, quàm Pygmæum. Quamquam pro ſolitâ ſuâ illâ gloriatione Thraſonicâ, con-

tendit à tali Pygmæo non modò Herculem ſimplici, ſed etiam maximum Gigantem triplici quaſi clauâ armatum, debellatum iri. Etenim verba illius ſunt: *Non dubito* (ſolitam agnoſcis fidentiam) *quin dicatur olim hunc Pygmæum Gygantem maximum etiam tribus Tomis armatum debellaſſe.* Declarans autem hunc Pygmæum nihil eſſe aliud, quàm libellum ſuum (& libellus ſanè eſt, foliorum nempe ſolùm quatuor, quorum adhûc partem faciunt Titulus, Epiſtola, & πάρεργα) ſcripti paruitatem excuſat jactatione conſimili; nam, *Equidem*, inquit, *Libellus mole perexiguus eſt; ſed momento maximus.* Quo autem ſenſu putas dicit maximum? Nempe quo ne tota quidem Terra maiorem concipiat. Comparans enim Philoſophiam Epicuream cum celebri illa Nabuchodonoſoris ſtatua, quatenus Atomi & Inane ſunt illi quaſi fictiles pedes: Libellum ſuum habet pro lapide illo, qui, vt Sacra loquitur Scriptura, *abſciſſus de monte ſine manibus percuſſit ſtatuam in pedibus eius, & ita partes eius contriuit, vt facta ſint, quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullúſque locus inuentus eſt eis; ipſe autem lapis, qui percuſſit ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam Terram.*

At quoniam tamen reuerâ montes non parturierunt montem, ſed murem, imò muſculum deridiculum; ecce vt tibi hoc indicem, dicam primùm de Præfatione, quam fecit illi quaſi caput; deinde de Impugnatione Atomorum, & Vacui, quam quaſi corpus intexuit; ac tandem de tribus ſpeciatim objectis Gaſſendo falſitatibus, quas quaſi caudam denique aſſuit. Nam quòd ad calcem πάρεργα aduersùs Carteſium appoſuit, nihil aliud, quàm prodidit pruritum inſanabilem inſectandi quoſcumque videt euadere doctrinâ illuſtres; vt, quod deinceps facere ſolet, jactando ſeſe victoriam reportaſſe ex omnibus, videatur ſolus in theatro literatorum triumphare. Miſellus! qui remaneat ſemper quaſi inter Elephantos culex; & cui ſe quantum-vis inflanti, vt alicuius illorum affectet magnitudinem, dici idem poſſit, quod ranæ, cui ſoboles propria.

quum magis atque
Se magis inflaret, non ſi te ruperis, inquit.

DE PRÆFATIONE.

A Ridiculo igitur musculi capite vt exordiar; en quibusnam sit primoribus labris. *Epicuri*, inquit, *Philosophia Vetustissima, Aristotelis olim telis extincta, nouissimè vero à Petro Gassendo*, &c. An risum teneas, mi amice? quasi nempe Aristoteles fuerit Epicuro posterior; cùm hic tamen illo moriẽte vix dum adoleuerit? Et quàm iure obiectum est semper scripturienti isti Scriptori, vt literas priùs, hoc est bonas artes addisceret, quarum passim se omninò ignarum, atque rudem prodit? Subdit deinde comparationem Nabuchodonosoreæ Statuæ; & quod illius instar putet Philosophiam Epicuream ruituram, contritis illis duobus eius fundamentis, quasi pedibus Atomis nempe & Inani; *Proinde*, inquit, *necesse non est eius singulas partes examini subijcere; quandoquidem omnes alterationes, generationes, sensationes, imò somnia, phantasmata, animæque passiones ad illa duo fundamenta reducantur ab Epicureis.* Quo loco vides, quàm malignè insinuet contineri nihil aliud in toto egregio illo opere, quàm alterationes, & alia quorum enumerationem hîc facit. Nempè illum mirificè angit, quæ commendari audit ex illo, sub his titulis, *De Deo vera sentienda*, *Esse Deum authorem Mundi*; *Esse Deum Rectorem Mundi*; *Gerere Deum hominum curam*; *Esse animos hominum immortaleis*; *De vsu partium in animalibus*; Totam item *Meteorologiam*, tam *de ipsis Sideribus*, quàm de vocatis vulgò *Meteoris*: *Vniuersam* quoque *Ethicam*; ac speciatim capita illa, *De Voluptate*; ac *de Virtutibus* non generatim modò, sed etiam speciatim, *De Prudentia*; *De Fortitudine*; *De Temperantia*; *De Iustitia*; itemque *De Libertate, Fortuna & Fato*; *De Diuinatione*; ac vt verbo dicam, de innumeris aliis, quæ vel ipse Index operi præmissus statim exhibet, quæque nihil commune habent cum Inani & Atomis, possuntque alioquin optimè sine ipsis constare.

Hæc deinde sequuntur; *Quoniam igitur à Gassendi culto-*

ribus, & asseclis, qui passim Maximi cognomine illum venerantur, ridiculè prouocatus fui aduersùs hanc ipsius Philosophiam scribere; quasi hoc vires meas innumeris excederet parasangis; huius euertendæ compendium meæ ætati, & occupationibus congruum fecero, si Inanis & Atomorum hypotheses absurdas, & inanes esse probauero. Papæ! quàm nullius rei ipsum pudet! Prouocatum se dicit: sed videlicet postquàm ipse prouocandi occasionem fecit. Addit *ridiculè*; ac id sanè est verum; vtcunque ille vocem hanc suo sensu interpretetur. En vero vt ses res habuerit. Verba Morini fuerant in Responsione Gallica ad falsi amici, quem esse Franciscum Barancium existimârat, literas; *Et sçay personne des plus capables, qui s'appreste desia à rendre ridicule la Physique d'Epicure.* Tum autem Barancius suspicatus id, quod res erat, nempe ipsum esse Morinum, qui vt, *personne des plus capables*, se ad scribendum accingeret, ad illum rescribens his verbis excepit; *Dites-la verité: n'est-ce point vous, ou quelque sot de Pedan de mesme farine? O que nous en rirons! Courage Monsieur Morin; apprestez-vous, mettez la mesche sur le serpentin; souflez, tirez, helas! il est mort: chantez: victoire sur Gassendus, par trois fois.* Hic igitur verus est sensus, quo ridiculè & post datam ab ipso occasionem fuit prouocatus; neque ipse rem omninò hîc dissimulat, vbi quanti faciat victoriam à se reportandam (& de qua iam dixit se non dubitare) præmittit, his verbis; *Quanta autem sit necessitatis conflictus, & victoria inde reportanda*, &c. Quandoquidem verò non ab vno se, sed à pluribus Gassendi cultoribus prouocatum dicit, & ridiculè quidem, quasi id vires suas excederet; Neuræum nostrum maximè subnotat, cuius ob datam eandem prouocandi occasionem, verba ista fuerunt in sua ad Luillerium Epistola. *Mais i'espere auec l'ayde du bon Dieu, qu'il ne sera pas plus heureux en predisant la mort de Monsieur Gassendi* (de hac prædictione posteà) *qu'il a esté iusqu'à present, en décriant ses ouurages; pour iuger de la valeur desquels il faut estre bien plus versé dans les langues, l'Histoire, & la Philosophie, que pour dresser des Horoscopes. Aussi Morin aduoüe sa propre foiblesse de ce costé-là, & ne nous*

menace pas de sa plume, pour censurer le dernier trauail de Monsieur Gassendi; mais bien de quelque Aristarque, qu'il se prepare à tirer de l'Academie des fameliques Hibernois du Mont de sainte Geneuiefue. I'ay pourtant bien de la peine à croire, qu'il soit deuenu sage iusques au poinct de s'abstenir d'escrire contre ce qu'il n'entend point. Certes, si ie pensois, qu'il fut en si beau chemin, ie luy tiendrois la main, & pour acheuer de le persuader de la laideur du mestier, quil fait, en s'eleuant auec enuie, & sans iugement contre tous ceux, qui donnent quelque chose au Public: ie luy representerois vn beau passage d'Hypocrate sur ce sujet, &c.

Verba extrema Præfationis sunt; *Id autem sic aggredior, solo falsitatis odio, & veritatis amore*; quo etiam modo locutus fuerat, libellum momento dicens maximum, *quem*, inquit, *nec inuidia, nec vindictæ studium; at solus veritatis amor peperit cōtra Philosophiam Epicuri*. Quorsum verò, putas, hæc verba apposuit? nempe, vt si quà possit, excuset virulentiam, quam purulento suo pulmone in immerentem virum effusam omnes boni viri stomachantur, & damnant. Scribere se *sine odio & inuidia* in Gassendum dicit: Et potest-nè esse aut acerbius odium, aut tetrior inuidia? Mirere qua fronte, & tam publicè præsertim, mentiatur; cùm tam multi nôrint non posse illum se temperare, quin etiam in triuiis nemini occurrat, à quo auditum se iri putet, quin in virum optimum debacchetur; & irrisus licet à multis, à plerisque etiam grauiter objurgatus, pergat nihilominus virus suum vt rabidus canis ore impudenti, infamíque euomere. Dicit *sine vindictæ studio*: Et potestnè tamen esse vllum vindictæ studium implacabilius, non sanè ob iniuriam, quam à viro innoxio, nimiúmque mansueto acceperit; sed ob eam, quam ipse pro sua vanitate, imprudentia, malitia, sibi accersiuit. Nihil malè fuerat de ipso optimus ille meritus, qui etiam illum vt amicum, imò vt amicissimum colebat. Ipse ne multis aliis perstrictis (quippe instar cantharidis nihil eximium putat, quod non adoriatur) ne amico quidem potuit parcere; conscripto in eum libro malignitatis plenissimo, cui Titulus, *Ala Telluris fracta*. Ille miseratus viri indolem,

nihil cogitabat reponere; & amicorum precibus victus, ac ea præsertim de causa, quòd impietatis insimularetur, Apologiam scripsit; quam tamen in viri illustris, qui Morinum ipsi reconciliauit, gratiam suppressit. Contigit vt quidam amici, penes quos exemplum aliquod Apologiæ erat, non ferentes Morinum abire impunè, Apologiam, ipso Gassendo planè inscio ediderint. Id vbi accepit Gassendus, scripsit ad Morinum Gallicam Epistolam, qua non sine ingenti dolore factam se inscio rem excusauit. Nactus Morinus occasionem scribendi iterùm in Gassendum, Libellum iterum conscripsit, in quo illam Epistolam vnà edidit, & libelli exemplum cum versibus paucis manu exaratis ad Gassendum transmisit. Gassendus tum vt significaret acceptas à se literas, tum vt nonnihil conquereretur de editione tam Epistolæ, quàm adhibitæ interpretationis, Epistolam aliam Gallicam ad eum non tam scripsit (decumbebat enim) quàm dictauit suo illi amanuensi Antonio Poterio, officioso, ac omninò bonæ indolis iuueni, quem nosti, quemque Gassendus non minùs charum, quàm Cicero olim suum Tyronem habet. Ille verò rursùs Epistolam hanc nouam laceratim edidit, & librum simul nouum virulentissimum, impudentissimúmque euulgauit; quodque est viri planè effrontis, ausus fuit obijcere viro optimo, qui nihil aliud, quàm priuatim, manúque scribebat, quòd laboraret prurigine scribendi aduersùm se libros; cùm ipse tamen esset, qui ex datis ad se ab illo literis priuatis libros faceret; sicque se eum proderet, quem omninô insanabile scribendi cacoethes teneret. Et Gassendi quidem amici, cognitâ Morini impudentiâ, euulgauere deinceps Epistolam integram, vt manifestum fieret, quid de Morino sentiendum foret; ipse autem Gassendus & Morinum, & omnes illius conatus mero contemptui habuit, ac deinceps neque priuatim, neque publicè quidquam ad eum scripsit: cum nempe habuit, cui Iupiter, quod aiunt, eripuerit mentem. Nunc igitur ferens impatienter Morinus se ab illo sic negligi, vt ne verbum quidem ab ipso audiret (quippe muliercularum instar conuitium; quàm silentium mauult) occasionem hanc rursùm

cœpit

cœpit prouocandi illum, si forte ipsius patientiam possit proritare; verùm perseuerabit ille haud dubiè in proposito, ac nihili ducet nouos impotentis hominis insultus. Constabit, & quasi generosus molossus viam suam perget, degeneris canis latratum nihil curans; & quasi immotus scopulus spumosos eius fluctus contemnens. Viuat ergo fœlix; & donec Morinus cor suum corrodet, ac Megæræ instar cogitatis suis, tanquam colubris capiti hærentibus, infestabitur: ille sua tranquillitate, prout degentem eum vidimus, in plurimos annos fruatur; ac otium rebus magis seriis, quàm vt à nugis hisce Morini nugacissimis diuertatur, impendat. Nos verò, quibus datum fuit, tam multa ex illius ore ad elucidationem doctrinæ, vt aliorum Philosophorum, ita speciatim, maximéque Epicuri, accipere; ac præterea in eius scriptis tot bonas horas collocare; nos, inquam, qui illum tam impensè amamus, atque veneramur, quíque ea ætate sumus, vt nobis magis vacet, ac liceat temporis quidpiam succidere; non sinamus virum abire inultum; ac ostendamus Morino non defore vnquam, qui ipsum pro eo, ac meretur, excipiant, & vbi in sui audaciam reprimentes insurrexerit (neque enim vt se contineat, moderatéque agat, spes est) negotium ipsi fore cum iuuenibus, qui non perindè secunda vice, ac prima sibi temperent; nec magis regerendo vera, quàm ipse obtrudendo falsa fatigentur.

DE DISSERTATIONE ADuersus hypothesim Atomorum.

EGo quidem accedens iam ad muris ridiculi corpus; quoniam ille fecit partes eius tres, primam putà quasi anticam, & cum pedibus anterioribus, circa Atomorum hypothesim; mediam quasi ventrem, circa hypothesim inanis; & extremam quasi posticam, cum pedibus posterioribus, circa Atomos iterùm, prout statuuntur principia rerum; ideo ad dicendum ex ordine de his capitibus me accingo.

Vt incipiam verò ab ipſa Atomorum hypotheſi; ita deſcripſit Epicurus ſuas Atomos, vt eas eſſe intellexerit non puncta quædam, ac veluti indiuiſibilia Mathematica (cuiuſmodi vulgò intellectæ fuere etiam à viris eruditis, qui refutare eas ſunt aggreſſi, priuſquàm Gaſſendus rem exponeret) ſed corpuſcula exiliſſima, ac eiuſmodi, quorum multæ myriades in vno animalculo dicto Acari contineantur. Scilicet illa eſſe voluit, ad quæ natura, dum extremè corpora reſoluit, perueniat; quæque, cùm non ampliùs exſolubilia, ſecabilia-ve ſint (neque enim natura exſoluere, ſecare-vè in infinitum poteſt) ideò dicantur ἄτομα, *inſectibilia*, ſiuè mauis ἄτομοι, quaſi *inſectibiles* naturæ. Hanc verò inſectilitatem, inexſolubilitatem-vè Atomorum eſſe ex eo naturæ impoſſibilem, quòd cùm natura ad ea peruenit, ipſa reperiat ſolida prorsùs, incompactáque ex partibus, quibus inane quidpiam intercipiat; vnde & ſimpliciſſima ſunt; ſecùs ac omnia corpora compoſita, ſiue concreta, quæ ideò ſecari, exſoluique in partes poſſint, quòd ſolida non ſint, ſed contexta ex partibus ſolùm contiguis, implexiſque, & inanitates intercipientibus, per quas ictus intrò admittant, quibus partes mutuò auelli, diſſociaríque inter ſe poſſint. Deinde cenſuit ſicut iſta corpuſcula extrema ſunt, in quæ corpora reſoluuntur; ita eſſe omninò prima, ex quibus corpora componantur; ac ideo eſſe primam materiam, materialia-vè principia prima quippe quæ neque ex ſe mutuò, neque ex aliis, ſed ex quibus omnia fiant. Rursùs iſta corpuſcula eiuſmodi eſſe, vt præter ſoliditatem ſeu ſubſtantiam æquè inexſolubilem, ſimplicémque in omnibus, ſint intrinſecè, & ex ſua natura. Primò magnitudinis alicuius (quantúmuis ea ſit exiliſſima) nempè cùm, vt dixi, non puncta, ſed corpora ſint longitudinem, latitudinem, profunditatémque habentia. Secundò figuræ alicuius: quippe cùm finita quæ-vis magnitudo eſſe infigurata nequeat; eſſe autem alias orbiculares, alias ouatas, alias mucronatas, alias vncinatas, alias triquetras, alias quadratas, alias aliarum figurarum tam regularium, quam irregularium varietate innumerabilium. Tertiò, ponderis alicuius, quod ſit natura-

lis ad motum impulsus: ex quo efficiatur, vt atomi mobiles, actuosæque sint, ac etiam, nisi sibi occurrant, seséque inuicem irretiant, & contineant, ferantur quàm celerrimè. Nimirum quòd prima principia cùm sint, peti aliundè quàm ex ipsis, qui motus in rebus concretis obseruantur, non valeant; sicque contineant etiam rationem causæ ceu efficientis. Denique esse quidem in rebus præter istas tres proprietates, qualitates plurimas, vt calorem, frigus & alias: Verùm oriri illas dumtaxat ex istis tribus, ac præterea ex Atomorum ipsarum situ, ordine, interuallo, additione, detractione, transpositione, &c. Hæc porrò hoc loco præmittere placuit, potiusquàm illa commemorare, quæ Morinus pro suo captu, affectúque retulit, & quasi insulsè jocando, truncandóque exposuit. Ac cætera quidem prætereo; non possum autem non circa id hærere, quod postquàm dixit, *Democritum & Epicurum asseruisse Inane immensum repletum fuisse Atomis* (quàm longe tamen illi abfuerunt, vt repletum dicerent, cùm censuerint solùm volitare Atomos respersas per Inane immensum! nihil tamen mirum, si ita loquatur, quia illorum mentem non assequitur) *& earum concursu Mundum hunc coaluisse, fierique omnia, quæ iam producuntur concreta corpora:* tum vt maturè animi in Gassendum maligni exhiberet specimen, repetitum iuit ex quadam illius ad præclarum Capellanium Epistola, quod in hunc modum subijceret. *Sed suâ ad Ioannem Capellanium Epistola redarguens Epicurum quod nullam Atomorum causam efficientem agnouisset, inquit Deum talem Atomorum congeriem, quasi chaos initio Mundi produxisse, ipsique motum eum indidisse, vnde & rerum semina generalia existerent, & membra Mundi præcipua discerni, formari, vicesque suas obire possent.* Quorsum id vero? scilicet vt hæc verba attexeret, *Quod certè non parùm aduersatur primo capiti Geneseos, vbi dicitur, quòd in principio creauit Deus cælum, & terram; nec sinè scandalo concionari quis potest, quòd Deus in principio creauerit chaos, siuè congeriem Atomorum, illisque motum indiderit, vnde cælum & terra, cæteráque membra Mundi præcipua formata & discreta fuerint.* Attende, mi amice, ad malignitatem, ac vt ani-

malis venenati instar præclara etiam quæque in perniciem trahat.

Nam primùm quidem, vtvt Gassendus non fuerit laudandus, quod Epicurum redarguerit (cùm illum tamen vt constanter, sic laudabiliter redarguat vbi quid contra fidem peccat) at culpari tamen non potest, quòd Atomorum congeriem creatam asseruerit. Si quidem non suam sententiam exposuit, sed selegit solùm ex opinione Epicuri, quod tolerari per fidem potuit; vnde & dixit solùm, *supplendo pro ipsis* (Democrito & Epicuro) *talem congeriem*, &c. Deinde quo iure homo Astrologaster putauit se meliùs, quàm viros Theologos, & sanctorum Patrum, interpretumque sacræ Scripturæ conscios, Geneseos contextum intelligere, & præscribere quid sit concionandum? Quasi verò cùm rem ita explicent Orthodoxi Interpretes, vt Deus primò Mundum informem creârit, deinde autem per sex dies distinctionem illi, perfectionémque tribuerit, ac idcircô illud, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, intelligi debeat non de eo, quod Deus primo die, sed de eo, quòd toto sex dierum spatio tanquam Mundi principio, cœlum & terram perfecerit; Quasi, inquam, cùm sic accipiant, non relinquant liberum excogitare varias quasi hypotheses, quibus prima illa informísque materies ac veluti chaos se habuerit. Quasi cum aliundè materia inuisa à Scriptura sacra dicatur, & interpretibus sit tam chaos, quàm prima materies, non tam dicere liceat esse illam Atomos, quàm Aristotelicam, quæ neque sit quid, neque quantum, neque aliquid aliud? Quasi dici non valeat eas Atomos ex quibus vt materia prima constet Mundus, non fuisse seorsim creatas, sed vnà in res, quæ crearentur, constarentque ex partibus, coadunatas; cùm & deinceps resolui in easdem potuerint? Quasi cùm plerique per illud *de Terra, Inani, & Vacua*, seu existente solitudine, & inanitate, intelligi rursus velint quoddam chaos, massam-ve confusam (idemque etiam alij per tenebras supra abyssum perque abyssum intelligant) non liceat illis, si ita videatur dicere, confusam Atomorum congeriem? Tertiò cur recurrit Morinus ad illam Epistolam, potius quàm

ad ipsum Epicureæ Philosophiæ corpus, in quo res & fusiùs & luculentiùs deducitur? Cur inquam? nisi quia non potuisset rem perinde dissimulare, si locum ipsum indigitasset, neque declamabundus perinde iactare *rem non parum aduersari primo Geneseos capiti, ac non posse quemquam sine scandalo concionari* &c. Sicque eam Gassendo conflare, quâ tantopere turgescit, inuidiam? Possem tibi ex eo opere exscribere verba Aneponymi; *nulla est, inquit ille, tam falsa opinio, quæ non habeat aliquid veri admistum: sed tamen illud admistione cuiusdam falsi obfuscatur. In hoc enim, quod dixerunt Epicurei mundum constare ex Atomis; verè dixerunt, sed in hoc quod dixerunt illas Atomos sine principio fuisse, & diuersas per magnum inane volitasse; deinde in quatuor magna corpora coactas fuisse fabula est.* Possent & alia; ex quibus constat, non potuisse rem adeo inuidiosè detorqueri, nisi à maleuolo planè animo, tametsi ea fuisset propria viri sententia; sed satis est exscribere, quod pagina statim sequente habetur, vt videas quam fidenter, quámque iniuste hariolus iste concionetur. *His præmissis*, inquit Gassendus, *& vt corrigamus, suppleamúsque quod Epicuri Sententiæ deest, supponamus creasse Deum tantam Atomorum congeriem, quanta fuit necessaria, vt totus hic mundus ex ea formaretur: supponamus quoque omneis Atomos accepisse à Deo vim sese mouendi, & consequenter impingendi, resiliendi, exsiliendi, ac sese mutuò complectendi, continendi, reuinciendi, &c. prout destinatum à Deo fuerit: tum reliqua supererunt, de quibus homo Ethnicus ratiocinari suo sensu, seu pro captu naturæ posit. Ethnicus, inquam; nam nos quidem, quibus historia Geneseos mundi suppetit, aliter de ferte, quâ mundus est à Deo productus, sentimus: at, qui hac face destituitur, nihil potest sequi aliud, quàm quod naturæ lumine apparet esse verisimilius. Heinc, cùm posset fortè quispiam alius probabiliorem seriem, ac modum quàm Epicurus, inducere; non in eo tamen est incumbendum, vt quis ille sit, requiramus, quibus ex sacra historia constat de vera serie, veroque modo, quo omnia producta, dispositáque à Deo sunt; quibúsque in animo est Epicuri sententiam referre dumtaxat, non asserere, neque facere pro illa sponsionem.* Quæso, vt Morinus illa

euentilaret, reticere ista vt plagiarius debuit? Verumtamen lubet præter institutum illud adhuc ex calce paginæ 649. quæ ad hoc quoque faciunt, hûc inserere, *Possunt quidem, inquam*, (verba sunt Gassendi) *& hæc & alia id genus dici, ac supponi; at mera, vt vides, suppositio est: neque ratio est, quæ persuadeat Deum initio mundi eiusmodi fecisse chaos, quale posset iam facere; aut statuisse, vt partes omnes sese eo modo reciperent, aut exspectasse donec isto, quo sunt, modo componerentur. Aliunde verò nihil heic aliud, quàm vniuerse dicitur; nam quæ propterea speciatim fuerit mundi dispositio, definire ratio non potest, quæ definire adhuc non potuit, sit-ne mundus globosus, an non: & vt detur esse globosum, sit-ne terra, an Sol in centro? quod cùm per rationem non liqueat; quî liquere potest, quonam ordine particulæ mundi sese ex tali suppositione, aut se composituræ sint, aut compositæ olim fuerint? Ex quo fit, vt cùm modus ille Epicureus non placeat; neque alij tamen placituri sint, cùm nullus sit, quem ratio adstruat, aut cui contradici ratione non possit. Neque mirum sanè; quandoquidem mundus maius opus est, quàm vt assequi mens humana illius molitionem possit. Quasi verò, cùm non possimus ne minimi quidem animalis, aut minimæ plantæ intelligere fabricam; præsumendum sit, fore vt possimus intelligere constructionem mundi: quasi præclarissimum quódque eorum operum, quæ humana mens excogitare capax est, comparari vlla ratione cum mundi opificio valeat; vt ex illius analogia hoc intelligi posse confidamus? Et qualis artifex esset Deus, si posset homuncio metiri comprehenderéque ingeniolo suo id opus, quo opera omnia & Dei & rerum omnium comprehenduntur?*

Pergit Morinus: *Porrò Democritus, Epicurus & Gassendus faciunt omnes Atomos eiusdem naturæ, essentiæ, vel substantiæ*, &c. Quo loco, sicut incipit, ita malignè deinceps pergit Gassendum cum Democrito, Epicuro & Lucretio copulare; quasi eandem sententiam cum illis tueatur: cùm tamen aliud nihil soleat, quàm illorum sententiam referre, & exponere. Idem nempe facit, quod Interpretes Aristotelis, Platonis, aliorum; quibus dum nudè memorant, declarantque quæ fuerit illorum Philosophorum mens, nemo nisi

ignarus, aut malignus tribuat, vt eiusdem sententiæ sint, ac vbi ea est præsertim damnanda. Quæso enim, si ipse Morinus commemoraret, explicaret-ve quæ fuerit Aristotelis de mundi æternitate opinio; & aliquis exciperet, defendere Aristotelem & Morinum mundi æternitatem: quæso, inquam, Morinus-ne sibi iustè tribui eam opinionem admitteret? Quid si non modò opinionem nudè referret, declararetque; sed profiteretur etiam tueri se oppositam, illamque reijcere, vt erroneam? porrò quod sibi perperàm tribuit ea occasione conquereretur; idipsum est, quod perperàm Gassendo ipse tribuit. Ac illud quidem de Atomorum natura & proprietatibus magni momenti res non est; grauiora sunt, quæ consequuntur, vbi etiam Gassendo tribuit, quæ ille est etiam palam, prorsúmque inficiatus. Quanquam & quod ad Atomorum naturam, proprietatesque spectat, vide, amabo, vt paginâ totâ 201. & insequente, in quibus ea de re agit, nihil aliud, quàm Epicuri & Democriti opiniones commemoret; in quo illi dissideant declaret; ipse illis se nequaquam adiungat.

Quod generatim verò ad ipsa Epicuri placita attinet, sufficere hîc potest generalis illa contestatio, qua de vita & moribus Epicuri scribere aggressus, his-ce verbis præfatus est; *Licet confectâ vita Apologiâ, doctrinæ quoque explicationem aggressurus subinde sim; non propterea tamen illi nomen do, neque placitorum ipsius vadem me, aut sponsorem præsto.*

Statim pòst verba Morini sunt; *Gassendus verò cum Lucretio asserit verisimile non esse, quòd cùm Atomi sint infinitæ, omnes sint eiusdem figuræ.* Hîc est, vbi iam malignitas latet, ac præsertim sub tribus illis, quas interiecit vocibus, *cùm sint infinitæ*; videlicet quasi Gassendus id cum Lucretio asserat; qui id tamen expressissimè negat. Verùm, quia deinceps calumniam, imposturámque, quam hoc loco quasi strangulat, apertiùs deinceps & solemniùs profert; ideo erit deinceps de ipsa dicendum.

Statim rursus, vbi loquutus de motu Atomorum perpendiculari secundum Democritum est, pergit; *Epicurus autem cum Gassendo inclinationis motum addidere, volentes aliàs*

moueri perpendiculariter, *aliàs obliquè*, &c. Quasi verò vnquam Gassendo venerit quicquam minùs in mentem, quàm vt talem motum declinationis comprobaret, qui Ciceronem etiam commendauit, quòd visus fuerit præclara argumenta aduersùs illum, *vt subtiliter sic iure vrgere*? Vnde & incubuit solùm in eo, vt declararet non quemadmodùm hunc motum tueretur, sed quemadmodùm Epicurus ipsum fieri intellexerit; supponendo videlicet motum Atomorum perpendicularem non fuisse Epicuro intellectum illum, qui versus terræ centrum fieret, quippe quam rotundam non arbitraretur; sed qui in terram suppositam planam, & in planum superficiei circumqua-que protendi conceptum, per aërem, per cœlum, ac vltra Mundum in infinitum; adeò vt omnes Atomi perpendiculares rectà & parallelo motu versùs istud planum ferrentur, & quæ declinarent, ferrentur obliquè ad idem. Verùm hac ipsa de re erit iterùm dicendum inferiùs.

Prætergrediendo ea, quæ subinde de inanis seu vacui hypothesi interserit (quæ & resumentur posteà commodiùs) venio iam ad refutationem à Morino institutam earum rationum, quibus Epicurus probauit dari Atomos. Is nempe, qui se tam acutum putat, cùm ad legitimè differendum, debuisset primùm rationibus confutare hypothesin, existentiam-ve Atomorum; quia excogitare tamen nullas potuit; ideo nihil aliud, quam se conuertit ad refutandum eas, quibus talis hypothesis, exsistentia-ve astruitur. Putauit nempe satis esse, si in ipsas quicquam effutiret; cùm Dialectica tamen doceat non satis esse ad euertendum opinionem aliquam, ostendere ipsam allatis rationibus non stabiliri; quandoquidem restat semper scrupulus, an non aliæ adhûc meliores (vt dies diem docet) excogitari valeant; ac ideò oportere talem opinionem rationibus aliis, quàm per simplicem refutationem allatarum, impossibilem demonstrare. Cùm initio porrò proponat nolle se ab Epicureis exigere experientiam sensuum, ad probandum Atomos, quòd illi eas velint præ sua exilitate sensum fugere (Et certè quonam maiore iure id exigeret à suo Aristotele, qui suam materiam eiusmodi

eiusmodi facit, vt sicuti dictum iam est, non sit *nec quid*, *nec quantum*, *nec quale*, *nec omninò aliquid eorum quæ determinant*, *Ens*; hoc est, vt interpretatus Diuus Augustinus videtur, sit *prope nihil*) cum id, inquam, proponat; subinde quasi per transennam Epicureis obijcit, quòd *spreto Aristotele & Platone & similibus*, *se Philosophorum omnium sapientissimos & maximè Lynceos esse putent*. Si ex eo quæras, vnde habeat quod ij sic putent; insinuat ex eo esse, quod illi Aristotelis & Platonis opinioni adhærere nolint, & opinionem de Atomis, quam isti improbârunt (licet Plato saltem eam sequutus sit, vt à Gassendo sæpè audiuimus) magis probandam putent? Quasi verò, esse non debeat cuique homini liberum, eam rationem sequi, quam probabiliorem esse iudicet; Quasi authoritas, famáque alicuius debeat nobis imponere; Quasi quoties magni alicuius viri opinioni quis non adhæret, obijciendum sit illicò, putare se ipsum illo sapientiorem. Id si ita sit, ecquis est, quo non liceat dicere sapientiorem se (vt reuerà putat) Morinum putare? Non hæret, verbi gratiâ, opinioni Platonis de Ideis; sapientiorem ergo Platone se putat? Non opinioni Aristotelis de Galaxia; se ergo Aristotele sapientiorem putat? Non opinioni Diui Thomæ de materia signata; se ergo Beato Thomâ sapientiorem putat? Non opinioni Scoti de distinctione vniuersalium graduum, se igitur Scoto sapientiorem putat? vt paucis dicam, quia nemo est, cuius aliquam opinionem improbaturus non sit; nemo est, quo non se sapientiorem, acutiorem, magis lynceum putet. Quod si excipiat, istud propterea sibi iure non obijci; æquo iure ipse idem obijciet aliis? An dicet, quia Epicurei non in vno, sed in pluribus Epicuro adhærent? At non-ne ipse non in vno, sed in pluribus adhæret Aristoteli? Quanquam ecqui sunt illi Epicurei, qui Epicuro sic addicti sunt? Indigitat ille se præcipuè Gassendum intelligere; At licet Gassendus doctrinam Epicuri explicet; est-ne propterea ipsi addictus? Est-ne aliquis, qui non modo acriùs in Epicurum inuehatur, vbi aliquid habet sacris dogmatibus absonum; sed etiam in cæteris rebus illum faciliùs deserat, & ex aduerso stet, si quic-

quam rationi repugnet? Eſt-ne qui magis reuereatur, maioríſque ducat Platonem, Ariſtotelem, Principes alios Philoſophorum; quos neque vnquam Morinus legit, neque ſi legat, intellecturus ſit? Eiuſ-ce rei teſtes nos ſumus; vti & ſunt quotquot viri illius optimi fruuntur conſuetudine; neque enim nequicquam eſt, quòd verbis citatis ex Epiſtolâ, Præfatione-ve in libros de vita & moribus, iſta ab illo ſubijciuntur: *Quia etiam, vt in alijs rebus rationem ſolam audio, neque niſi illam admittat, magis me mouet Epicurus, quam qui-vis alius Philoſophorum (& noſti certè vt alioquin ex æquo affectus erga omnes ſim, omnibúſque honorem habeam; ac ſolùm veritatis ſtudio, exercendique animi gratiâ nunc in huius, nunc in illius, cognoſcendis placitis non-nihil ſtudioſiùs incumbam) ſic in religione maiores, hoc eſt Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, & Romanam ſequor, cuius hactenus placita defendi, ac porrò defendam; nec me ab ea vllius vnquam docti, aut indocti ſeparabit oratio.*

Sed de impugnatis à Morino rationibus, & ab eo quidem quemadmodum placuit, ſelectis, turbatis, vt dicam: *Prima*, inquit, *ex Epicuro & Gaſſendo talis eſt, pagina 181. cum natura nihil ex nihilo faciat*, &c. Suppoſitis porrò iis, quæ dicta iam ſunt, non erit deinceps neceſſe admonere, qua ille mente Gaſſendum cum Epicuro copulet, vt vtrumque idem ſentire, inſinuet; cùm Gaſſendus tamen nihil aliud, quàm interpretem Epicuri agat, ac de cæteris proinde locis idem ſit, quod de iſto ſentiendum, in quo Gaſſendi verba ſunt, *Sed de ratione ipſa, vt dicam, Epicurus eam ſic proponit, quaſi diceret; Cum natura*, &c. Vbi nihil aliud, quàm expliciatiorem Epicuri rationem facit. Quia porrò Morinus tum rationem niſi truncatam non retulit, tum verba quædam tranſpoſuit, tum aliqua etiam adiecit, quæ ex textu non ſunt; ideò ex textu deducere, proponereque hîc illam præſtat. Ea ergo ſic habet. *Cùm natura nihil ex nihilo faciat, redigat-ve in nihilum; oportet quidpiam ſupereſſe in concretionum diſſolutione, quod inexſolubile, intranſmutabiléque ſit. Et videmus quidem naturam corpora reſoluere in particulas impenſe exiguas (nam vt exemplo res dicatur, quàm oportet ſub-*

tiles sint, cùm cibus ita exsoluitur, vt excrementis varie reiectis, quod alimenti superest, in omneis etiam minimas corporis parteis distribuatur) verum natura aliquò vsque in hac resolutione procedit, neque in infinitum, infinite-ve comminuit. Nempe vis illius definita est; & cum percurrendo infinito, sit infinito tempore opus, nihil vnquam noui gigneret natura, si exsoluenda prius vetera infinitè forent. Hac certè de caussa citatus Aristoteles perueniri vult ad extremam materiam, & pro absurdo ducens εἰς ἄπειρον ἰέναι, *in infinitum abire, concludit;* ἀνάγκη δὴ στῆναι, *necessariò esse consistendum. Superesse igitur debent, extremâ factâ resolutione, particulæ minutissimæ, quæ inexsolubiles sint (nam si exsolubiles adhûc forent, non foret contra hypothesin extrema facta resolutio, & ea resolutio potest accipi, quæ extrema intelligatur.) Quare & supersunt, quas dicere* ἀτόμους καὶ ἀμεταβλήτους, *indiuisibiles & immutabiles liceat.*

Duæ deinde sunt responsiones ad Rationem hanc à Morino allatæ. Duæ, inquam, vt ipse putat (aut potius vt lectoribus incautis imponere vult, dum fœcunditatem ingenij in comminiscendis responsionibus gestit ostentare) cùm reipsâ tamen non duæ, sed vnica sit, eáque futilis, vt perspicuum fiet. Verùm quasi duas, si placet, audiamus; *Respondeo primo*, inquit Morinus, *quod cùm Epicurus dari concedat quatuor elementa veterum Philosophorum, iamque dari concederet tra principia chymica, sal, sulphur, & mercurium, quæ sunt adhûc propinquiora mixtorum principia, & patent in illorum resolutione: si supponatur naturam resoluere mixtum vel concretum aliquod in particulas, quantum potest, minimas; hæ procul dubio erunt minimæ elementorum particulæ ab ipsa natura exsolubiles; alioquin negandum erit naturam posse resoluere elementa in minimas particulas elementares; cùm tamen vapor nihil aliud sit, quàm aqua in partes minimas resoluta. Quid ergo Epicuri Atomis hîc opus est? nunquid natura minimam aquæ particulam à se exsolubilem exsoluet in Atomos Epicuri, quæ nihil tamen aliud sunt Gassendo, quàm minimæ partes concreti à natura exsolubiles; sicque idem sunt Atomus, & minima aquæ vel alterius liquoris exsolubilis particula.*

Quæso te verò, mi amice; hæc-cine est Responsio homi-

nis rem intelligentis? Prætereo primùm qua affectatione & hoc loco, & deinceps quoque, dum quatuor elementorum meminit, mentionem quoque faciat ſalis, ſulphuris & mercurij, vt ſubinnuat ſe eſſe Chymicum; cùm tamen nihil minus ſit, ſed fando dumtaxat illorum opinionem nôrit, vti & voces Chymicarum operationum aliquas, quarum etiam vnam alterám-ve in reſponſione ſecunda habet. Sed hoc parum eſt: Supponatur, vt ipſe vult, *naturam reſoluere mixtum, vel concretum aliquod in particulas, quantum poteſt, minimas*; animaduerte tautologiam, petitionem-ve principij, quo idem per idem ſub infert. Quò enim differt à ſuppoſitione id, quod ſequitur? *hæ procul dubio erunt minimæ elementorum particulæ ab ipſa natura exſolubiles.* Verùm iſtud quidem condono; at non perinde illud, quòd vocem *elementorum* in illatione adhibet, vice illius, *mixti, vel concreti alicuius.* Nempe ex hac paralogiſmum texit, argumentum-ve peccans in forma, ac ideò concluſionem falſam nullo nexu colligens; Vide enim, quæſo, qua cohærentia hoc inferat, alioquin negandum erit naturam poſſe reſoluere elementa in minimas particulas elementares? cur enim, quia natura reſoluet mixtum, concretum-ve aliquod in particulas quantùm poteſt minimas: illæ erunt minimæ particulæ elementares? An quia primùm reſoluit mixtum, concretum-ve in elementa, ac deinde elementum in minimas elementi particulas; ac eo vbi peruênit, ad metam virtutis peruenit, neque poteſt vnam iſtarum particularum in alias vlteriores reſoluere? at vero vndenàm id probat? vndenam, inquam, niſi quia hoc ipſum ſuppoſitum eſt, & maximè quia elementum nomine concreti intelligitur? Veruntamen emplaſtrum quaſi adhibens, *cum tamen*, inquit, *vapor nihil aliud ſit, quàm aqua in partes minimas reſoluta.* Sed cùm hoc eſſe illi debuerit, quaſi antecedens, ex quo, ſi artem ratiocinandi noſſet, potuiſſet ratiocinationem magis congruam contexere; putare-ne potuit conceſſum id iri, aut non eſſe habendum ſe in rebus naturæ penitùs obtuſum, qui vaporis particulas eſſe minimas reputet, in quas natura poſſit reſoluere aquam? Et niſi poſſit natura reſoluere vlteriùs minimam particulam

aquæ (quod idem dicendũ de particulis aliis elementaribus minimis) quomodo ergò admittere cum Ariſtotele poterit, poſſe reſolutionem vſque ad primam materiam dari? Nam ſi aqua poſtremò in particulã, quæ ſit aqua, reſoluitur; nunquã igitur forma aquæ à materia aberit; neque adeo dici poterit aqua reſoluta in materiam primam. Pergit; *Quid ergo Atomis Epicuri hîc opus eſt?* Sed opus eſt nempè, vt intelligamus non ſolùm poſſe naturam reſoluere aquam in particulas minimas, quæ aqueæ ſint, ſeu formam aquæ retineant (quod vt plurimùm fit, & quod quoties fit, congeries harum particularum, aëre quidem, ſed proximè interſtinctarum, vapor dicitur) Sed poſſe adhùc vnamquamque iſtarum particularum in vlteriores reſoluere, quæ iam amplius formam aquæ non retineant, vt potè quæ coniunctæ quidem, & in moleculas coactæ certóque modo coadunatæ, ſint quaſi aquæ ſemina; at ſeparatim tamen dici idem, quod coniunctæ non valeant. Proſequitur, *nunquid natura minimam aquæ particulam à ſe exſolubilem vlteriùs exſoluet in Atomos Epicuri?* Quidni verò exſoluat, aut poſſit certè exſoluere per reſolutionem extremam? nempe minimæ particulæ aquæ reſolui adhuc in minores moleculas, congerieſ-ve particularum, quæ & ipſæ adhuc Atomi non ſint; ſed tum demùm ſint, cùm erit demùm facta reſolutio in particulas ſimplices, ſeu quæ non ſint ampliùs moleculæ, congerieſ-ve plurium? Poterat Morinus rem intelligere, aut potiùs non diſſimulare ex iis, quæ habentur pagina 402. vbi occaſione verborum illorum Ariſtotelis, *Si corrumpitur aliquid in hoc vltimùm* (hoc eſt materiam) *abit*; iſta ſubiiciuntur; *Quod autem dicit vltimùm, cùm occaſionem faciat quærendi, an in corruptione detur reſolutio vſque ad materiam primam, videtur quoque planiùs dici, quia materia prima ſunt Atomi, materia ſecunda moleculæ ex iis contextæ, vt ſunt quæ ignem, ſal, argentum, aurum, cæteráque componunt; ideo, ſi reſolutio quidem fiat ad vſque Atomos, vt fieri aliquando poteſt, tunc poſſe dici reſolutionem fieri vſque ad materiam primam; ſin vſque ad moleculas ſolùm, tunc fieri adVſque materiam ſecundam.* Heinc cum ex eo, quod Gaſſendus admittit *minimas particulas à natura exſolubiles eſſe Ato-*

mos, infert Morinus, *Atomum & minimam aquæ, vel alterius liquoris exsolubilis particulam, idem esse*, vides quàm id falsò, ineptéque concludat.

Respondeo, inquit, Morinus, *secundò, quod si aqua, terra, vitrum & similia homogenea reducantur euaporatione, solutione, calcinatione, trituratione vel aliter à natura, aut arte in partes, quantum fieri poterit, minimas; earum tamen pars qualibet restabit eiusdem naturæ cum suo toto: id enim patet de aqua in vaporem resoluta; qui vapor occursu frigoris, nihil aliud esse deprehenditur, quàm aqua ipsamet prius resoluta: tum de vitro, quod quantum-vis, & quamdiucunque trituretur, semper remanebit vitrum, vtcunque natura vel ars ad minima sibi possibilia deuenerint. Non ergo minima particula aquæ erit Atomus Epicuri; alioquin minimæ particulæ terræ vitri, &c. essent etiam Atomi Epicuri; sicque atomi Epicuri non essent inter se eiusdem simplicis naturæ, vel essentiæ contra Atomorum hypothesin: nam terra, aqua, vitrum, &c. sunt corpora diuersæ inter se naturæ. Ergo hæc hypothesis est merum figmentum.*

Agnosce iam hæc-ne Responsio à superiore diuersa sit. Eandem certe esse, vel cœcus percipiat ex verbis illis; *Id enim patet de aqua in vaporem resoluta*: quippe hoc etiam fuit in superiore responsione exemplum: Et illud, quod subdit, *qui vapor occursu frigoris nihil aliud esse deprehenditur, quàm aqua ipsamet priùs resoluta*; esse potuit probatio illius, quod esse debuisse dixi antecedens; *vapor nihil aliud est, quam aqua in partes minimas resoluta.* Agnosce autem simùl, vt tantò turpius peccet, quantò cùm agatur de naturæ vi in exsoluendis corporibus, ipse vim exsoluendi artis illi ex æquo facit, heterogeneásque ex solutiones miscet, & confundit. Sed nempe gestiebat hîc quoque ostentare quemadmodùm loqui audierit Chymicos de euaporatione solutione, calcinatione, trituratione. En verò proinde vt nouum paralogismum adijciat, quatenùs ex eo, quod vt euaporatione fiunt minimæ particulæ aquæ; ita ex trituratione minimæ particulæ vitri; colligit non magis naturam resoluere posse minimam particulam aquæ in vlteriores particulas, quarum vna aliqua Epicuri Atomus sit, quam ars minimam particu-

lam vitri, in particulas, quæ ipsæ etiam sint Atomi Epicuri. Quasi verò, aut illud de minima aquæ particula probauerit, obtinuerítque; aut euincere valeat nihil plusquàm artem, posse naturam, & quod præstare illa potest, metiri oportere humano ingenio, atque modulo? Nisi non fortè miseret te hominis tam crassè, obtuséque de natura philosophantis, & vix quicquam subtiliùs, quàm quod videatur oculo, manu palpetur, intelligentis, ac idcircò digni, ob triturationem adeò solerter à se delectam, qui ad trituram deputetur. Quàm ineptè proinde infert, non fore *Atomos Epicuri eiusdem simplicis naturæ, vel essentiæ, quòd terra, aqua, vitrum sint corpora diuersæ inter se naturæ?* concludit; *Ergo, hæc hypothesis est merum figmentum.* Quàm melius concluderet, *ergo gluc!*

Venio ad rationem secundam, circà quam Morinus misero cæcutiit, tametsi obseruârit eam fuisse à Gassendo vocatam præclaram. Lubet heîc ipsam apponere, non vt Morinus eam retulit, ac potissimùm cum interpolatione duarum vocularum, quæ vt crassam eius ignorantiam arguunt, sic in causa sunt, cur cùm in sua responsione ostendere satagit rationem multipliciter, ac etiam paralogismo peccare; ipse tota serie responsionis nihil aliud, quàm peccet, & paralogizet. Ratio igitur ita habet pagina 184. (paginas etiam hîc refero, quòd apud Morinũ peruerse citentur.) *Quia enim manifestum est esse in rerum natura corpora dura, & mollia, declarat* [supple Lucretius] *si principia quidem assumantur solida, posse ex illis fieri non modò res duras, vt perspicuum est, verum etiam molles; quoniam quod concrescit ex ipsis, mollescere poterit ex intermistione inanis: Sin autem mollia supponantur, tum poterunt quidem res effici molles: at nulla ratio suberit, cur possint duræ effici; soliditate scilicet, quæ est fundamentum duritiei, nulla exstante.*

Priusquam Morini recitetur Responsio, notandum est ipsum, dum rationem refert, interposuisse sub medium, parenthesin hoc modo; *Si autem mollia supponantur (SCILICET INANE) tum potuerunt equidem effici res molles.* Constat autem primùm ex hac parenthesi, quàm non intel-

lexerit quidquid toto opere Epicureæ Philoſophiæ de Inani legit; atque adeò quàm non perceperit, quâ ratione res molles fieri ex interceptione inanis dicantur. Siquidem inane nihil aliud eſt, quàm locus vacuus corpore, & in quo tamen corpus recipi, aut per quod corpus tranſire poteſt: hinc inane eſt res quæpiam incorporea, penitúſque immobilis, quæ neque tangere, neque agere aliquid; & neque tangi ab aliquo, neque reſiſtere cuiquam poteſt. Scilicet hæc omnia ſunt corporum propria; atque adeò cùm durum & molle dicantur de corporibus, quatenùs durum quidem eſt, quod ex ſuperficie in ſeipſum tangenti non cedit; & molle, quod à ſuperficie tangenti in ſeipſum cedit: Conſtat inane non eſſe molle, quoniam & ſuperficie caret, inquè ſeipſum cedere, quòd immobile ſit, non poteſt; & fieri id in ipſo non poteſt, reſpectu tangentis, quòd prorsùs intactile ſit. Patet proinde ex hoc, quàm ille ignoranter, & ridiculè parentheſin illam interiecerit. Niſi fortè id etiam præmalitia fecit, vt viam ſibi ad reſponſionem ſternens, Lectoribus imponeret, qui putarent ipſum eam parentheſin aliundè ex Philoſophia Epicurea deſumpſiſſe, non pellecto videlicet capite illo *de mollitie, duritie, flexilitate, &c.* à pagina 338. Sed vt de ignorantia potiùs rem interpreter, id quod Morinum feſellit, fuit, quòd non intellexerit qua ratione res quæpiam mollis ex dura euadat. Id intelligere tamen poterat ex iis, quæ illo capite habentur, ac in præcedente etiam, quod eſt *de fluxilitate, firmitate*, &c. prout fluiditas vt humiditatis, ſic mollitiei quaſi genus, vel cauſa eſt. Lubet proinde hîc imprimis aliquid excerpere circa fluiditatem ex pagina 333. vbi Gaſſendus, *Fluiditas ſeu liquiditas*, inquit, *non aliunde oriri videtur, quàm exeo, quòd Atomi ſeu particulæ, ex quibus corpus fluidum conſtat, ſpatiola intercepta habeant, & ſic inter ſe diſſociatæ ſint, vt ſint inuicem mobiles circum ſuperficieculas, quibus ſe contingunt. Ita ſe rem habere intelligimus primùm in aceruo granorum frumenti, quorum quodlibet ob ſpatiola intercepta euoluere ſe circa contingua capax eſt; ex quo fit, vt inquamcunque partem volueris, aceruum emouere, aut intra quodcunque vas reponere, ipſa grana emoueantur*

tur, effundantur, accommodent sese interiori figuræ vasis. Ita deinde intelligimus se rem habere in sabulo, & quolibet puluere, cuius pari modo singula granula circa contigua emoueri, & effluere, ac in vas effusa, interiori superficiei sese accommodare valeant. Ita verò consequenter intelligendum est sese rem habere in aqua, siquidem discrimen solūmodo est, quod granula seu corpuscula ex quibus aceruus, seu mauis moles & cumulus aquæ contexitur, sint incōparabiliter minora, tenuioráque, & incomparabiliter angustioribus intercepta spatiolis, quàm concipi corpuscula valeant cuiuslibet pulueris, quem deterere artificio liceat. Ex hoc loco intelligitur nihil esse fluxile, nisi partes habeat dissociatas, emobilésque ac partibus ipsis intercipiantur spatia, in quæ inclinari & succedere valeant, vt emoueri posse censeantur. Ad hunc ergo modum res mollis non esset, nisi eius partes emobiles ab inuicem quadamtenùs forent, & spatiola interciperent, in quæ compressione ad superficiem factâ sese recipere, atque adeò cedere possent. Vt res exemplo quodam dicatur: cur glomere lanæ àttacto esse eum mollem dicimus? nempe quia singuli pili emobiles è suis locis sunt, & spatia intercipiunt, in quæ se recipiant, dum manu vrgentur. Glomerem constringe in globum, pilam-ve lusoriam; cur glomer mollis tunc non est? Nimirùm, quia pili non sunt ampliùs emobiles, & cum se omnes arctè contingant spatia ampliùs non intercipiunt, in quæ pressi se recipere possint, sicque tangenti cedere. Erit tunc ergò glomer vel globus res dura: Vt mollem autem iterùm habeas, nihil aliud, quam distringendus est, & ipsi pili diducendi, vt spatia, in quæ iterùm emoueri valeant, intercipiant; vnde & tantò euadet mollior, quantò euadent spatia ampliora. Affero porrò hoc exemplum ex pagina 339. desumptum; de glomere lanæ constante ex pilis aërea spatia intercipientibus; vt quia & pili, & aër, & corpora omnia concreta constant aliundè ex Atomis, spatiola inania intercipientibus; intelligamus originem veram; cur aliqua corpora, vt fluida, sic mollia sint, ideò esse quòd Atomi emobiles seu non cohærentes ad inuicem sint (secùs ac sunt in rebus duris) & intercepta habeant inania spatiola, in quæ emota sese reci-

piant. Ac rursùs, vt intelligamus, quemadmodùm globus ex lana est durus, quia singuli pili in se duri sunt, seséque adinuicem contingunt; & ex eadem lana, iisdem-ve pilis effici potest glomer mollis, si aëreum spatium intercipiatur: ita vniuersè esse corpus durum, quòd singulæ Atomi ex quibus constat, solidæ atque duræ sint, ac sese inuicem contingant, & posse ex iisdem fieri corpus molle, si intercipiantur spatiola inania. Denique, vt intelligamus, quemadmodùm data pilorum duritie, potest ex iis glomer non modò dûrus, sed etiam mollis fieri; cùm si pili essent molles, posset quidem ex iis glomer mollis, at non durus effici; ita concessa Atomorum, prout hypothesis exigit, soliditate, seu duritie, declarari posse, quomodo in natura res tam duræ, quàm molles fiant, cùm si molles forent, dici quidem posset quomodo res molles ex iis fierent; at non perinde, quomodo res duræ. Atque ista demùm est ratio, quæ a Morino impugnatur, quæque rursùm deducitur paginâ citatâ 339. ex qua iuuat decerpere verba rationem antecedentia; vt clariùs appareat, quo iure Morinus parenthesin suam, quasi esset ex mente Epicuri, aut etiam Gassendi, vt vult, interposuerit. Ea sic se habent, & à calce quidem antecedentis paginæ, vbi quid sit durum, ac molle ex Aristotele declaratur. *Prætereo quoque, posse quidem ipsum reuerâ asserere hasce qualitates dici comparatè, seu esse gradus varios mollitiei, at duritiei, iuxta quos alia molliora, alia duriora esse dicantur; & quæ mollia sunt respectu vnius, dura censeantur respectu alterius: At non posse tamen perinde, quid sit absolute durum, aut molle, constituere; cùm nisi admissa Atomorum soliditate, quæ ob inanis exclusionem in causa sit, vt superficies Atomi nullatenùs cedat, res definiri non valeat. Scilicet in rebus concretis nihil non est magis, magisque durum, seu nihil non minùs, minúsque molle, quatenus magis magisque accedit ad soliditatem Atomi, in qua mollitiei nihil sit; veluti ex opposito nihil non magis magisque molle, seu nihil non minus minusque durum, quatenus magis magisque accedit ad inanitatem, in qua nihil potest esse duritiei. Non quòd inane propterea dici molle possit, quasi superficiem habeat, secundùm quam cedat; sed quod*

res concreta tantò mollior sit, quantò secundum superficiem magis cedere, seu minus resistere potest ob interceptum amplius inanis; adeò proindè, vt cùm sit quidpiam, quod possit dici absolutè durum, videlicet Atomus; nihil tamen sit, quod possit dici absolutè molle; quatenus quidquid molle dicitur, constat semper ex Atomis, quæ sunt in se mollitiei expertes. An ergo poterat Morinus ad illa rationis verba, *sin autem mollia supponantur*, glossam illam suam addere, *SCILICET INANE*? Subiicerem hîc præclara exempla, quæ post rationem expositam tum memoratâ paginâ 339. tum sequente habentur; sed hoc nimis prolixum foret. Videndum est potiùs quid ille respondeat.

Respondeo, inquit Morinus, *hoc ratiocinium multipliciter peccare. Ac primùm paralogismo, dum assumit concreta mollescere ex intermistione inanis, quòd dari, & concretis admisceri negatur, nec ab Epicureis probatur. Secundò, dum dicitur ex solo inani (quod principium molle vocant) posse effici res molles: Nam cum inane sit spatium, quod est merum nihil, dicatur, quænam res molles ex solo inani effici queant? Tertiò dum assumitur Atomos Epicuri esse solidas, & fundamentum duritiei; hæc enim probanda sunt. Præterea non-ne patent in elementis causæ, vel principia soliditatis, ac duritiei, nempe terra; tum etiam mollitiei, nempe aqua & aër, quæ dantur ex Epicuro? ad quid ergo Atomi & inane Epicuri, quæ dari nec probatur, nec probari potest?*

Refero hæc omnia ad verbum, vt pleniùs intelligas quantùm præsumat, exspectétque Morinus exclamatum iri à Lectoribus, O miram ingenij acutiem, ac feracitatem! Proponit *ratiocinium multipliciter*, hoc est tripliciter, vel quadrupliciter *peccare*. Id peruideamus; *Primùm*, inquit, *paralogismo*. Hui Morine! & quomodo habens tantam trabem in tuo oculo, præsumis te conspicere in oculo alieno festucam? Age ergo vbi paralogismus, aut quonam ex genere est? *assumit*, inquit, *concreta mollescere ex intermistione inanis*; Non assumit quidem mollescere, sed colligit fore, vt possint mollescere, si modò Atomi solidæ assumantur; sed esto: in quonam est paralogismus? in eo, *quod*, inquis,

inane dari, & concretis admisceri negatur, nec ab Epicureis probatur. At primùm ex tuo ordine quæstio nondùm fuit, detur-ne inane, an non? Non ergo inane negatum, & non probatum sic assumitur, vt inde fiat paralogismus. Deinde, falsum est, quòd inane dari probatum non fuerit, antequam assumeretur; túque ipse posteà conaris eas rationes refutare, quibus probatum existit. An, inquies, eas fuisse sic à te euersas, vt perinde sint, ac si nullæ essent, résque probata minimè foret? Et non euertisse quidem eas te, post modùm declarabitur; intereà verò detur non fuisse rationes illas conuincentes; idem-ne est ergo non conuincere, & paralogisticè argumentari? Et non-ne Aristoteles tuus inter syllogismum demonstratiuum, & paralogisticum, interponit dialecticum, qui neque in materia, neque in forma peccet? Vade igitur, consuleque illum. Iam in quonam peccat ratiocinium secundo? *Dum dicitur*, inquis, *ex solo inani (quod principium molle vocant) posse effici res molles.* Et miserande! vbinam, aut à quo id dicitur? vnde-nam hausisti, nisi ex tuo cerebro, quòd illi inane principium molle vocent? Dicunt illi quidem molle aliquid fieri ob interceptionem inanis, quatenùs inane est locus interceptus, in quem pars corporis ad superficiem sita potest introrsùm cedere; at non eo modo, quo tu existimasti; vt nempe Atomi sint quasi farina, & inane quasi aqua, ex quibus commistis, subactisque, totum in pastam mollem concrescat. Vnde & dum insurgis, *cùm inane sit spatium, in quo est merum nihil, dicant quanam res molles ex solo inani effici queant?* Non vides, misellc! pugnare te aduersus tuam vmbram; dic tu potiùs, quæ mica salis in tanto isto corpore sit? *Tertiò*, inquis, *dum assumitur Atomos Epicuri esse solidas, & fundamentum duritiei*, ô cæcitatem! hoc assumitur, cum probandum sit? Et non-ne vides hoc ipsum potiùs esse, quod probatur? Sed nimirùm discernere quid inter syllogismum absolutum, & hypotheticum; inter conclusionem & assumptum intersit, non potes? fefellit te illud, *si principia assumantur solida;* non peruidentem scilicet conditionem esse antecedenti adhibitam, vt ex connexione illiùs cum eo, quòd habere debueras assumptum

(quodque ita præmittitur, *manifestum est in rerum natura esse corpora dura & mollia*) solida esse principia inferrentur, potiusquam quod dialectices defectu, arbitratus es inferri debere, *dari igitur res duras & molles*. Simile enim est, ac si quis probaturus *Solem esse lucidum*, illud quasi lemma, seu assumptum præmittat, *manifestum est diem esse*. Ac tum ita argumentetur, *si assumatur Solem esse lucidum, creabitur dies ex eius præsentia*; Tu verò, quia nisi minor, & conclusio distinctè subdantur, non peruidebis, facta hac minore: *atqui dies creatur ex eius præsentia*, elici posse conclusionem hanc, *igitur Sol est lucidus*; obiecturus illicò sis, peccare ratiocinium hoc, quia assumitur *solem esse lucidum*, quod tamen non probatur. Nempè quasi ratus, ex eo quòd dicatur, *si assumatur Solem esse lucidum*; concludi debere non *Solem esse lucidum* sed *diem ergo ex eius præsentia creari*? Redi ad scholam igitur, in qua addiscas quî fieri possit, vt in syllogismo hypothetico non modò exposito ad minorem antecedente, possit colligi consequens; sed ex consequente etiam posito, colligi possit antecedens. Quartum peccatum facis, quòd aliunde *pateant causa vel principia soliditatis, ac duritiei, nempe terra; tum etiam mollitiei, nempe aqua & aër*. O hebetudinem! Et non-ne verè antea dicebam, nihil te subtiliùs intelligere, quàm quod percipi oculis, vel attrectari manibus possit? Non-ne & iure causabar mox, te non alio modo concipere rem mollem fieri, quàm quo pasta fit ex farina, & aqua? Quippe tu hoc loco rem sic accipis, quasi eo modo fiat, quo ex terra & aqua lutum? Potest-ne spes esse, vt aliquid vnquam in rebus naturæ vltra sensum deprehendas, qui in his tam crassis principiis consistas? qui non agnoscas esse in terra partes, quæ mollitiei (vt nihil interim repetam de inani) principia sint; ac in aqua, & aëre, quæ sint principia duritiei; &, si propter hanc calcabilem terram res duræ, ac solidæ sunt; Dic quare ex aqua mollitiei principio sine vlla terræ admistione, efficiatur glacies, quæ res est tam dura, támque solida? Et, si propter hanc nabilem aquam res duræ sunt; quare ex solo duritiei principio, terra, sabulo putà aridissimo, efficitur aceruus tam mollis? dices præter

aquam esse aërem mollitiei principium, qui commisceatur sabulo. Verùm aër interuenit, non vt molle corpus cũ sabulo constituat, sed solùm vt spatia intercepta impleat, quæ circumstans sine re vacua ob fluxilitatẽ non potest. Interim autẽ ipsa sunt spatia, quæ mollitiei causa sunt, modo ante exposito; argumentóque est, quòd sabuli grana introrsùm cedentia, non in aërem subeant, quem potiùs expellunt, sed potiùs in spatiola occupata ab aëre, adeò vt sit ex accidenti solùm, quòd aër in iis reperiatur; quoniam tametsi forent inania, grana nihilominùs (imò etiam faciliùs) in ea vrgerentur. Quærerem rursùs, quare durities ex aëre solo in bombarda pneumatica intra quam superficies aëris tantoperè embolo resistit? sed quid pluribus heic te obruam? cùm danda potiùs opera sit, vt durare ad cætera possis. Quæris *ad quid ergò Atomi & inane Epicuri?* Ad quid? ad id certè, quod tu non intelligis, neque vt intelligas spes est magna. *Quæ*, inquit, *dari nec probatur, nec probari potest.* Vt tibi nimirùm videtur, qui probationem non intelligis, & non intellectam impugnans, agere te putas aliquid, cùm tamen nihil aliud, quam in Lunam latres.

Iam *tertia ratio*, inquit Morinus, *est ipsius Gassendi pagina 183. his verbis, vtcúmque sit, videri pôtest existentia Atomi ex eo colligi, quod vt in vniuerso datur aliquid inane adeò purum, vt nihil in eo sit corporis; ita detur quidpiam corporeum adeò solidum, vt nihil sit in illo inanis,*

Vide quàm impudenter Morinus rationem hanc quasi seligat, & loco secundæ, vt in textu erat, tertiam faciat, quo esse ipsius Gassendi mentiatur. Gassendus primâ expositâ subiecerat, dixi *porrò præcipuam esse, quam heic Epicurus attingit rationem; quoniam quam deducit inferiùs, docendo* οὐκ εἰς ἄπειρον τὴν τομὴν τυγχάνειν, *sectionem in infinitum non dari, seu non esse continuum in infinitum diuisibile, ea est solùm huius quasi confirmatio.* Ac paucis interpositis, *adderem heic illius vice ex Plutarcho rationem aliam, nisi locus foret perspicuè corruptus.* Tùm autem vbi locum Plutarchi edisseruit, vice tam illius, quàm alterius; rationem aliam adhibuit, quam est ex Lucretio mutuatus. Ipsam porrò Morinus tertiam & fecit,

& mox retulit; vt manifestum autem fiat illam non Gassendi esse, sed ipsius Lucretij, cuius sensum visus sibi fuerit in pauca verba contraxisse; ecce verbis illis Gassendus ista adhibet. *Videtur certè Lucretius ad hoc respexisse, dum ait.*

Tum porrò si nil esset, quod inane vacaret,
Omne foret solidum; nisi contrà corpora cæca
Essent, quæ loca complerent, quæcumque tenerent,
Omne, quod est spatium, vacuum constaret inane:
Alternis igitur; nimirùm corpus inani
Distinctum est; quoniam nec plenum nauiter exstat;
Nec porrò vacuum. Sunt ergo corpora cæca,
Quæ spatium pleno possint distinguere inane.

Adhibet & plura ex Lucretio in eandem sententiam. Quæso proindè potest-ne quisquam Morino impudentior videri? Quamobrem verò, putas, rationem facit Gassendi propriam; nempè vt in sua responsione, quem mentitur paralogismum esse illius, proprium cauilletur. Siquidem Responsio eius talis est.

Sed respondeo hoc argumentum esse merum paralogismum: quia supponit dari inane in vniuerso, neque id probat Epicurus, nec probabit Gassendus. Ac in rei veritate patebit hosce Philosophos probare Atomos suas per inane suppositum, & inane per Atomos suppositas.

Quàm non sit porrò neque Gassendi, neque Lucretij paralogismus, vel ipse inanis Morini garritus declarat. Fuit res abundè deducta circa illud, quod fecit Morinus quasi primum secundæ rationis peccatum. Vnde & cùm constet antequam vlla ratio circa Atomos proponeretur, probatum fuisse dari inane, & iis quidem rationibus, ad quas Morinus allatrauit, vt deducetur posteriùs: Nihil hîc amplius addendum est, sed permittendum cuique, vt agnoscat, quam rem congruam, vt antea dixit, suæ ætati Morinus faciat; dum pueriliter adeò balbutit, dum futiliter adeò cauillatur.

Pergit quasi ad concludendum quod de rationibus Atomorum hypothesin probantibus censuit; *Quid ergo inanius excogitari potest hisce rationibus expositis ad probandum Atomos Epicuri* ? Quid inanius, Morine! nempe tuum caput.

Neque enim aliud, fuit illud de quo dictum est, *ô quale caput, si cerebrum haberet!* Hînc & dum sequitur; *patet ergo veritas assertionis nostræ, quod hypothesis Atomorum Epicuri sit merum figmentum*, excipere licet, figmentum id sanè, quod est intra tuum caput; vt intra cuius capacitatem nihil stabuletur, aut volitet præter chimæras bourbinantes.

Hiſ-ce à Morino præmissis, ac vt institutum suum magis confirmet, aggreditur etiam refutare, quæ de Atomorum proprietatibus (sed figura nempe & motu dumtaxat) traduntur. Dico autem de figura & motu dumtaxat; quoniam nihil dicere ausus est aduersùs magnitudinem, seu molem, atque corpulentiam; ob id, opinor, ne cùm Atomis materia rerum exsistentibus, optimè explicetur vnde-nam moles, & corpulentia cuiuslibet corporis sit; non posset ipse ex suis materiâ, formâque Aristoteleis, idem, si vrgeretur, consimiliter explicare; verùm & hoc quoque postea attingetur. Videamus quid de aliis duabus proprietatibus habeat.

Et quod ad figuras, inquit, *attinet*, Gassendus cum Lucretio, hoc est, Epicuro, ait, *quòd cùm Atomi sint infinitæ* (*NOTA INFINITVM EXTRA DEVM A GASSENDO ASSERTVM*) *verisimile non est illas omnes eiusdem esse figuræ: & quòd variæ illarum figuræ arguuntur ex eo, quòd omnia naturalia ex illis contexta, homines, feræ, aues, plantæ, &c. diuersimodè figurentur; nec obstat quod sint eiusdem naturæ* (*hoc dicit ob omnes Atomos eiusdem esse naturæ suppositas*) *quandoquidem omnes homines eiusdem inter se naturæ, sunt inter se diuersæ figuræ; & nunquam duo reperiuntur omnino similes; sicut nec duo grana tritici, nec duo oua.*

Hîc iam est, mî amice, vbi infamis calumniator, impudentissimúsque impostor Morinus illud apertiùs, solemniúsque insimulat virum pientissimum tetræ illius impietatis, *quòd infinitum extra Deum asseruerit*. Nempe non contentus proposuisse illum cum Lucretio & Epicuro id dicere, ac ne quis suspicaretur Gassendum referendo solum, & non propriam exprimendo sententiam id dixisse suspicaretur; rem & inclusit parenthesi; & charactere alio, quo esset visibilior,

bilior, exhibuit; & quò meliùs attenderetur, vocem nota, grandi cum N. proposuit. Deum immortalem! quantum abest hic calumniator, impostorque (quo enim alio nomine illum vocem? neque enim dum ita voco quicquam calumnior, aut impono, quemadmodùm probabo mox) quantum, inquam, abest à miti ingenio, charitatéque optimi viri, qui ab ipso, licet calumniis, imposturisque paribus impetitus, malignitatemque & virulentiam, ac dentem caninum illius expertus, id nihilominùs in sua illa Apologia, cum Galterium amicum alloquens, *An-non*, inquit, *tibi pridem perspectus eius-ce viri genius? Is nempe, qui cætera bonus, nihilominùs eam sibi opinionem fecit de se, vt se vnum sapere putet, se vnum agnoscere verum, se vnum quidquid arripit, demonstratione statim tenere; vt reputet eos, qui à se dissentiunt, hebetes, stolidosque esse, & cæcutiisse genus humanum, quousque ipse superueniens incomperta tot sæculis, atque exoptata sæpius reuelauit; vt amicos nihili ducat, nisi si quid ipse probauerit, probent, tueantur, in cælum tollant; & peius etiam, quàm inimicos excipiendos existimet: quod eos sibi maleuolos, inuidos & infidos fingat.* O viri bonitatem! dicere virum *cætera bonum*, & totam culpam conijcere in præsumptionem, seu factam nimiam viri tam maligni de se opinionem! Et quomodo quæso malignus hic vir virum excusasset, si excidisset reuera quidpiam, quod reprehensionem mereretur; cum nihil tale meritum impietatis notâ inurere eum satagit, vt maleuolentiâ suâ excæcatus, coram Deo, quod aiunt, & mundo palam mentiri, calumniarique impudentissimè non veretur? Id porrò vt probem, duo dumtaxat præstanda sunt; *vnum* vt exhibeatur locus, ex quo impostor ista decerpsit, vt perspicuè constet Gassendum non suam, sed Lucretij sententiam referre, ac breuiter exponere; *alterum*, vt vnus alter-ve locus ex pluribus in quo loquens Gassendus ex propria sententia infinitatem à Lucretio adstructam non apertè modò negauit, sed & refutauit.

Quod ad primum attinet; pagina 203. proposito primo circa Atomorum figuras, Epicuri placito, verba hæc sunt Gassendi. *Rationes habet Lucretius, sed priusquàm illas com-*

memoremus, adnotandum est nihil repugnare, quominùs Atomi, quantum-vis exiles, diuersimodè inter se figurentur, &c. Ac tum ea sequuntur, ex quibus impostor suum spicilegium fecit in hunc modum.

Iam Lucretius postquam proposuit esse exordiorum, Atomorum ve figuras varias:

Nunc age iam deinceps cunctarum Exordia rerum
Qualia sint, & quàm longè distantia formis;
Percipe, multigenis quam sint variata figuris, &c.

Tum pergit probando id primùm, quod verisimile non sit, corpuscula illa cùm sint infinita, figuræ esse vniusmodi:

Nec mirum; nam cum sit eorum copia tanta,
Vt neque finis, vti docui, neque summa sit vlla;
Debent nimirùm non omnibus omnia prorsùm
Esse pari filo, similique affecta figurâ.

Deinde quia variæ principiorum figuræ arguuntur ex eo, quòd omnia naturalia ex iis contextâ, homines, feræ, aues, pisces, &c. diuersimodè figurentur.

Prætereà genus humanum, mutæque natantes,
Squamigerum pecudes; & læta arbusta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant, circum ripas, fonteisque, lacusque;
Et quæ peruolgant nemora auia peruolitantes:
Horum vnum quoduis generatim sumere perge,
Inuenies tamen inter se distare figuris.

Idque non modo, quod spectat ad res diuersorum generum, verum etiam quod ad species, siue indiuidua generis eiusdem: ex quo agnitio matris à prole, prolis à matre, etiam in brutis.

Nec ratione alia proles cognoscere matrem,
Nec mater posset prolem: quod posse videmus;
Nec minùs, atque homines inter se nota cluere.

Ac statim (interposita vaccæ vitulum mactatum requirentis descriptione) *Eandem specialem, seu vt loquuntur indiuidualem differentiam agnosci docet, si quis attendat non modo in herba, sed etiam in granis frumenti, in conchis, & similibus:*

Postremò quoduis frumentum, non tamen omne,

Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formis:
Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere Telluris gremium, quà mollibus vndis
Littoris incurui bibulam lauit æquor arenam.

Mirum videatur, nulla duo grana esse inter se penitus similia; sed qui id non credit, id nunquam attendit. Et quotus est quisque, qui aut cogitet, aut sustineat attendere, vel ad vnius arboris folia, vt experiatur, num inter tam multa reperire duo aliqua inter se planè similia possit; Obstabit fortassis in granis, vel ipsorum paruitas, vel oculorum hebetudo; verùm quæ diuersitas est inter indiuidua generis humani, eandem proportione deprehendet lynceus inter indiuidua frumenti. Agnouerunt hoc Stoïci dicentes apud Ciceronem, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius; nullum granum. Habet ille varia in eandem sententiam, sed illum præsertim: Vides-ne vt in Prouerbio sit, ouorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuisse complureis, saluis rebus illis, qui gallinas alere per multas quæstus caussâ solerent; hi, cùm ouum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant. Sed redeo ad Lucretium qui rationem ita concludit:

Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est,
Natura quoniam constant, neque facta manu sunt,
Vnius ad certam formam primordia rerum
Dissimili inter se, quædam volitare figurâ.

Hic igitur est locus integer, ex quo vir malignus excerptum suum concinnauit; & ex quo tamen, tam clarè constat nihil aliud optimum Gassendum quàm retulisse Lucretij sententiam, ac nihil somniasse minùs, quàm *infinitum extra Deum asserere.*

Quod ad secundum, ecce imprimis, capite eodem, & pagina 209. vbi (expositâ integrâ de figuris Atomorum Epicuri sententia) quid de illa sentiat Gassendus declarat, quæ eius sint verba. *Iam intelligi quidem ex his licet, dici posse ex Epicuro esse innumerabileis Atomorum infinitates; at ex supra dictis intelligitur, ne esse quidem reuera vnicam; quandò quotuscunque tandem esse possit Atomorum numerus (si cui nempe*

illas defendere lubeat) is debet esse ipsa mundi capacitate definitus. Vnde & quando obiicitur, summam rerum fore finitam; idipsum est, quod admittitur, neque est vlla nessitas, quæ ad infinitatem cogat. Quippe & quod præoccupatur de copia rerum aliquarum in determinatis locis; ad infinitatem nihil facit: & quod subiicitur de exortu, atque incremento singularis rei; tum militat aduersus illos, qui cum velint potuisse casu eas conuenire Atomos, ex quibus mundus compingeretur, non habent cur negent eas posse, ex quibus parua moles consistat: tum infinitatem aliundè non arguit, quando Atomi necessariæ non in immenso fluctuant, sed ambitu mundi conclusæ tenentur: atque idcircò sufficere rebus tum gignendis, tum augendis possunt. Itaque dimissâ *hac infinitate, abundè esse Physico (defendenti Atomos) potest si & figuratas admittat, & incomprehensibileis dicat tum figurarum species; tum Atomos sub singulis, pluribus-ve harum specierum contentas.* Ecce & in eo capite, cui Tutulum fecit, *Abs re asseri ab Epicuro infinitos mundos*, vt refellens Gassendus Epicuri rationes loquatur ab initio paginæ 235. *Vbi concessum fuerit esse inane infinitum; nunquam propterea euincetur esse Atomos infinitas; cum ex sola esse possint, ex quibus sit factus hic vnicus mundus. At, inquiunt, cum inane sit magnitudine infinitum, necesse est vt Atomi per illud vagantes infinitæ sint; alioquin possent nunquam coïre; neque reipsâ olim coiissent ad mundum istum constituendum. Ita quidem, si admitteretur aut increatas Atomos esse, aut non à causa alia, quàm ab ipso casu compactas in mundum. Verum; vt nemo est sanæ mentis, qui opus tam magnum, tam varium, tam ordinatum, tam splendidum, tam decorum, referre possit ad ipsum casum, & non ad causam quandam diuinam, quæ & potentissima simul, & sapientissima sit; sic nemo sanus vnquam concedat aut eas Atomos, ex quibus sit mundus, factas non esse ab eadem causa; aut non fuisse simul ab ipsa compactas, conformatasque in ipsum mundum, potiusquàm sibi ipsis permissas, vt temerè discurrerent, & casu potius, quàm sapientiâ coirent, & compingerentur. Itaque, cum Atomi possint pro mundi materia haberi, vt inferius quoque attingendum est; tot dici possunt à Deo productæ, quot esse opus visum est ad præclari operis molem; non verò præ-*

terea infinita alia, vt quæ forent inutiles; cum Deus Mundos alios producere non constituisset. Neque est, quod quis forte instet, neminem adstitisse Deo consiliorum ipsius conscium, vt sciri possit, an-non Deus Atomos alias, aliosve Mundos, præter istum condiderit; Nam & qui putant condidisse, non adstitere similiter consiliorum participes, vt asserere iam id valeant; resque eò saltem deducitur, vt non maiore ratione probent plureis reipsâ Mundos esse, quàm cæteri esse plureis inficientur; cùm nos insuper, dum asserimus Mundum hunc esse vnicum, loquamur de re, quam ipsi videamus, & quam solam Deus voluerit, vt iam dictum est, innotescere; isti vero loquantur de re, & sibi planè incomperta, & cuius neque Deum Authorem, neque omninô quempiam alium, qui tale quidpiam viderit, habeant. Deinde quæcunque videmus sub genere vno multiplicari, singularia ea sunt, quæ cum intereant, indigent, vt genus seruetur, multitudine renascentium; at quæ interitui obnoxia non sunt, nihil opus est esse multiplicia: Qua ratione Sol vnicus, vnica Luna satis sunt. Huiusmodi porro est Mundus; nam & tametsi aliquando interiturus Mundus censeatur; tunc tamen solùm id continget, cum interibunt & Sol & Luna, & alia simul omnia; ac tum quæ causa destruxerit, poterit ipsum pro Lubitu, vt fecit, sic redintegrare. Igitur potest omninô Mundus vnicus esse, non multiplex; ac tantus præsertim cum sit, vt esse plurium instar possit. Quod ille verò ait esse communem quandam Mundi rationem, quæ tribui possit pluribus, alioquin differentibus, ob conditiones singulareis, id Dialecticarum argutiarum est, & ad summum probat id, quod non negamus; possibileis nempe esse plureis Mundos, si Deo quidem huius Authori condere ipsos lubeat; vt & nihil amplius probatur, quàm esse posse plureis Soleis, si Deus velit producere, ex eo, quod intelligimus rationem quandam communem Solis, quæ tribui possit pluribus propter conditiones specialeis diuersis. Constat vero quæstionem esse, non plures-ne Mundi possibiles sint, verùm sint-ne plures reipsâ. Ex quibus omnibus nisi constet esse Morinum Calumniatorem infamem, impudentissimúmque impostorem, non video sanè quis-nam alius habendus eiusmodi sit. Et dicat iam se *sine inuidia*,

sine vindictæ studio, solo falsitatis odio, solo veritatis amore aduersus Gassendum scribere; esse-nè poterit, qui non os perfrictum, linguámque dolosam non exhorreat? Et si solo veritatis amore; poterat-ne hæc, quæ mox citaui loca reticere? poterat-ne sententiam illis oppositam mendacissimè propalare? Iam, mi Lector, & aliquam fidem malignissimo viro adhibe.

Subiungit locum, in quo Gassendus ex suis quibusdam experimentis de varietate figurarum in Atomis ratiocinatur; verùm quia illum refert truncatè, & ineptè verba, quædam de suo intermiscet, vt illa, *idque continuari pulueri sato sale:* itémque *fœminearum* pro *seminearum*, &c. Lubet illum potiùs ex contextu referre. Is ergo sic habet pagina 205. *Addo rationi corroborandæ coniecturam non sanè leuem ex facili experimento: si permiseris nempè aquam salsam ad solem euaporari, relinquetur sal totum conformatum in figuras cubicas; si aluminosum in octahedricas, & ita de alijs, vt supra insinuauimus. Cæterùm qui cubi ex sale creabuntur, tantò euadent maiores, quantò aqua copiosior & profundior fuerit; tantò minores, quantò parcior, & minùs profunda; adeò vt, cùm ex magno lebete, quasi tesseras lusorias habiturus sis, ex cyatho non sint emersuri, qui digiti vnicam excedant, & ex aqua merè superficiali, vt si patiaris guttulam supra vitrum effluere, prodituri sint penè insensiles, & non nisi adhibito engyscopio discernendi. Quodque adhuc sit mirum, obseruare licet grandiores cubos conformatos ex minoribus, istósque ex aliis adhuc minutioribus, aut ex triangulis certe isoscelibus, ex quibus quaternis facies cubicæ deprehenduntur coaluisse. Ex quo profectò intelligitur, illos quoque, quos memoraui, insensibileis cubulos contexi ipsos adhuc ex aliis, & istos rursus ex alijs, donec perueniatur ad exilitatem, nisi Atomorum, saltem molecularum, quasi seminearum, ex quibus salis natura constet, & quas proinde verisimile sit esse aut quadratas aut triangulorum Isoscelium. Cum verò idem proportione dici possit de alumine, de saccaro & similibus; quidni etiam extendi possit ad res cæteras, quæ præsertim statam, certamque secundum naturam configurationem habent.* Commemorare piget, quæ homo non modò calumniator ca-

lumniosissimus, sed nugator etiam nugacissimus subijcit, vt videri possit, quidpiam respondere. Vt nugas tamen, quisquiliásque illius in vnum verbum contraham, ecce Gassendi ratiocinium ideò improbat quòd cùm omnes Atomi, Sal, alumen, & alia diuersimodè figurata, sint diuersæ inter se naturæ: Atomi nihilominùs, quæ sunt diuersimodè figuratæ, eiusdem naturæ, substantiæ-ve sint; vnde & concludit *fieri non posse ratiocinium absurdius, quòd nempe sit fallacia concludens à naturâ diuersis, ad idem naturâ.* Miser! qui nondùm intellexit homogeneïtatem, simplicem-ve, ac similem in omnibus Atomis substantiam, esse in illis quid generale, & proprietates illas internas, inseparabileísque esse illis, quasi differentias specificas, quibus inter se discernantur; vt si quis dicat vniformem illam, & consimilem corporis sentientis naturam, quæ in omnibus animalibus est, esse aliquid generale; internas autem illas & inseparabileis proprietates, quæ in singulis animalibus sunt, specificas illis esse differentias. Non intellexit rursus comparationem institui, non à diuersis natura, ad idem natura; sed à compositis figuratis ad figurata similiter simplicia. Non intellexit prætereà quomodo ex Atomis homogenea simplicitate præditis, sed tamen figurâ, magnitudine, motu, aliisque adiunctis inter se diuersis, heterogenea corpora fiant; aut quâ ratione, non modò oua, tritici grana, & alia (diuersas quorum figuras subindè ex quatuor elementorum commistione petit) verùm ipsa quoque quatuor elementa, ex Atomis constant diuersarum inter se magnitudinum, figurarum, &c. Non intellexit denique quid figura vniuersè sit, aut quatenus accidens merum, essentialis-ve proprietas, de quâ postremùm garrire gestit. Quare & exspectando donec mens illi redierit, vt intelligere ista possit, turpe sit in rebus, quas nondùm intelligit, & de quibus solùm insolenter balbutit, immoremur.

Quod ad motum verò Atomorum spectat; nihil neque de perpendiculari, directo-vè neque de reflexo attingit; sed de solo motu declinationis hoc habet, quòd *Cicero iure illum riserit?* Et cautè quidem quasi scopulum priores mo-

tus, seu potiùs motum vniuersè, qui principiis rerum attribui debeat, declinauit; quia cùm videret ex attributo Atomis motu ingenito posse optimè causam reddi, vnde motus sit in rebus concretis; agnouit ex eo, quòd materiam primam penitùs inertem, potentiam-vè purè passiuam cùm Aristotele faciat, non modò dici à se non posse, vnde aliqua res concreta moueatur, sed etiam cur omninò sit motus aliquis in rerum natura. Quod enim velit cum cœteris formam esse motus principium, nuñquam se ab ea difficultate expediet, quæ à Gassendo objicitur, quod cum velit formam educi ex potentia materiæ, seu totum, quod est, habere ex materia; fieri prorsùs non valeat, vt forma motrix seu actiua sit, quia talis prodire ex principio merè inerti, passiuoque non possit. Quod autem supra Ciceronem videri solers voluit, dum quasi ab illo prætermissam aduersùs motum declinationis causam eam adiecit ex natura simplici, quæ figurarum & motuum diuersitatem ferre non possit, aliud nihil, quàm crambem suam repetitam repetiit.

Subdit autem; *fatetur Gassendus se nullam ex Epicuro habere responsionem aduersus Ciceronem; ex se verò ait dumtaxat, eam esse humani ingenij imbecillitatem, vt in rebus compositis, vel concretis possimus quidem reddere rationem aliquatenus ex principiis assumptis; at de principiis assumptis dicere nihil aliud licet, nisi quod hæc isto vel illo modo se habeant ex naturæ suæ necessitate; cùm ignoremus germanam causam ob quam ita se habeant.* Pergit verò; *Quo sanè admisso responso & subterfugio, nihil est tam absurdum quod tutò supponi non possit ad quodlibet falsum concludendum.*

En porrò ex ipso Gassendo locum integrum. Postquam fusè retulit verba, & rationes, quibus Cicero declinationis motum refutauit, sic habet; *Quæ omnia cum ille vt subtiliter, sic iure vrgere videatur; non est profectò cur responsionem ex Epicuro comminiscamur. Adnoto solum propter illud, quod objicitur, hoc esse optare, & Prouincias dare Atomis, verè quidem id obijci, sed eam tamen esse ingenij humani imbecillitatem, vt obijci idem nemini non possit. Nam in concretionibus quidem, seu in rebus compositis reddere rationem diuersarum affe-*

ctionum

ctionum ex assumptis principiis aliquatenus possumus; at de ipsis principiis dicere nihil aliud licet, nisi quod hac isto, illa illo modo se habeant ex sua natura necessitate; cùm ignoremus germanam causam ob quam ita se habeant; imo cùm ea frustra quaratur, nisi sit eundum in infinitum. Adeo proindè vt non modo Epicuro, sed Peripateticis quoque, & Stoicis, & cæteris obijcere liceat, Prouincias ipsos principiis dare, quòd dicere nequeant, quare materia iners, sit causa actuosa; imò neque cur ignis calidus, terra grauis, &c. Ac nemo quoque dicere valeat, quorsum Astra omnia non ferantur motu Æquatori parallelo, sed quorundam motus in obliquum sit; quorsum item omnes Planeta per Eclipticam, aut motu saltem ipsi parallelo non incedant, sed quadam oblique ad ipsam ferantur; cum quidquid demum respondeatur, constet hoc esse Prouincias dare, non veram causam dicere. Vt taceam Ciceronem quoque videri eodem illis verbis recidere: Nè omnes à Physicis irrideamur, si dicamus quicquam fieri sine causa, distinguendum est & ita dicendum: Ipsius indiuidui hanc esse naturam, vt pondere & grauitate moueatur, eamque ipsam esse causam cur ita feratur, &c.

Quem locum refero, vt ex eo cum iis, quæ Morinus habet, collato; peruideas captiosam, malignamque mentem, quâ insinuare nititur esse quidem Gassendum in eadem cum Epicuro sententia; sed obseruare tamen rationes Ciceronis adeò esse validas, vt responsionem comminisci neque ex Epicuro, neque ex se possit; vnde & solùm se tueatur, *quòd ea sit humani ingenij imbecillitas, &c.* Abest enim longè ab eo candore, vt referat Gassendum quoque improbare huiusmodi motum, tanquam profitendo Ciceronem rationes illas suas, *vt subtiliter, sic iure vrgere*, quod superiùs quoque iammonuimus. Quin vide vt Gassendi verba inchoans ab illis, *eam esse ingenij humani*, &c. fraudulenter hæc mox antecedentia præterierit: *Id quidem verè obijci*: Sed nempè nihil non veritatis odio, & falsitatis amore profert, secùs ac credi perperàm voluit. Rursùs quoque vide, qua vafritie mox ab illis verbis, *eam esse ingenij humani imbecillitatem*, suppresserit illa, *vt obijci idem nemini non possit.* Id fecit nempe, ne fieret occasio referendi illa, quæ ex toto præ-

teriit, *cum & causa frustrà quæratur nè sit eundum in infinitum.* Et cohærenter, *adeò proinde vt non modo Epicuro, sed Peripateticis quoque & Stoicis & cæteris obijcere liceat, &c.* Quippè non habebat, quod reponeret, si in medium illa protulisset. Quære enim ex illo, Cur primam materiam, verbi gratiâ, supponat inertem & puram potentiam? An-non, nisi ad vnam, aut alteram responsionem ab effutiendo aliquid, desistat; cogetur tandem quasi optare, & Prouinciam materiæ dare, non valens aliud dicere, quàm *hanc esse eius naturam?* Dicat hanc esse conditionem, proprietatémque materiæ, vt iners sit ac pura potentia: idem aliis verbis dicet: Sed quære rursùs, cur materia istam conditionem, proprietatem-ve habeat, ac pari modo iterùm, si quid vlteriùs obtruserit: quàm citò illum synonyma deficient, vt cogatur admittere, ideò materiam talem esse, quia *hæc sit illius natura?* Ecquid igitur, miser, non prouidit posse illud sibi, quod ipse vrget, obijci, *hoc sanè admisso responso atque subterfugio, nihil est tam absurdum quod tuto à te supponi non possit ad quodlibet falsum concludendum?* An dicet suam suppositionem non conuinci falsam, vt illam de motu declinationis Atomorum? At in ipso Gassendi responso de ea speciatim non agebatur; illam nimirùm sepofuerat, ac loquebatur vniuersè de principiorum suppositione, verbis illis, quæ callidè omissa à Morino fuerunt, *verè quidem id obijci*; &, *Vt obijci idem nemini non posit* :&, *adeo proinde, vt non modo Epicuro*, &c. Prætereo interim illam quoque suppositionem, quòd materia iners sit, ac potentia merè passiua, posse falsitatis conuinci, vel ex argumento paulò antè proposito: non item posse residuam de Atomis suppositionem, quòd nempè Atomi (prima Epicuro materies) mobiles, & actuosæ sint. Quod enim alioquin motus, actionísque conditio ab Epicuro supposita, non vndequaque legitimè se habeat, ac ideò corrigenda sit, hoc non tollit, quia prima & generalis conditio, vt putà de motu & actione sit vniuerse retinenda; neque enim ea, quæ initio excogitantur, supponunturque, eiusmodi sunt, vt non expoliri, perficíque procedente tempore possint. Et certe si talis omninô, & qualis à suo

authore facta primùm est suppositio, defendenda sit, neque emendari valeat; cur non defendet materiam primam, qualis ab Aristotele supposita est, esse vt æternam, ita increatam, independentemque ab opifice Deo? cur, si Aristoteles esse illam potentiam puram, & absque omni actu, seu forma esse voluit; cur, inquam, defendet cum Scoto esse eam præditam forma, quam vocant corporeitatis? sin autem voluit habere hanc formam; cur defendet cum diuo Thoma nihil tale habere materiam; atque ita de cœteris? vt paucis dicam; ex eo, quod cogamur tandem venire ad illud, *talem esse rei naturam*, originem habuit, quod vulgo dicitur, *contra negantem principia disputandum non esse*; Quoniam qui principia supponit, possit quidem ex ipsis aliquid deducere; at ipsa principia non possit deducere ex aliis, neque adeò rationem, quare talia sint, reddere: alioquin enim non essent principia adeò proindè, vt aduersus illum, qui quasi ipsa negans, probari sibi ea postulat, disputari minimè possit. Prouidere ergo Morinus, intelligereque hæc debuerat; & Gassendi sententiam nisi commendare (hoc enim sperandum non est à viro tam maleuolo, cuique veritas tam exosa est) saltem non impetere, conuertereque in propriam perniciem: sed nempe, vt bufo inuidiâ inflatus, crepare maluit, quàm venenum non dilatare; & pestilenti suo afflatu quiduis incurrens inficere.

Concludit postremò primam istam partem admirandâ acutie; nam, *Atque*, inquit, *ex supradictis patet euidenter, quod hypothesis Atomorum Epicuri est merum figmentum, etiam Atomis destitutum, hoc est soliditate rationum, quibus inniti queat*. Ecquid verò hîc idem repetenti regerendum sit, quàm quod de inani eius capite dictum; nempè intra illud dumtaxat in quo solo ob inanitatem ea euidentia pateat, hanc hypothesin merum esse figmentum.

DE DISSERTATIONE ADuersùs hypothesin inanis.

SEcundo loco, vt accedam ad ridiculi muris ventrem, impugnationem putà inanis, ac dicam primùm de hypothesi, quam priùs intermissam feci, vt cohærenter diceretur de impugnatis rationibus; Ecce, Epicurus, vt antè insinuaui, supposuit inane seu vacuum nihil esse aliud, quàm spatium vacans corpore; cuiusmodi admitti solent vltra mundum spatia appellata imaginaria, ipsáque in immensum, seu absque omni omninò termino diffusa; imaginaria autem vocata, non quòd ab imaginatione, vt hyppocentauri, vel chimæræ, pendeant; sed quòd cùm vacua corpore, corporeisque dimensionibus sint; illa tamen cum quibusdam longitudinis, latitudinis & profunditatis dimensionibus corporum instar imaginemur; ac rursùs cuiusmodi vulgò admittitur futurum inane intra orbem Lunæ, si tota elementorum congeries sic in nihilum vi diuina reduceretur, vt in eius vicem nihil succederet; & in cuius tamen regione pari adhùc modo dimensiones longitudinis, latitudinis, profunditatis conciperemus. Deindè esse tale inane non modò incorporeum, sed etiam omninò immutabile; neque enim siue corpus in eo sit, siue non sit; siue ad id accedat, siue ab eo recedat, siue per ipsum transeat; idcircò inane emoueri, alterari-ve: sed constare semper immotum, ac esse præterea, vt incapax, quod aliquid tangat, tangatur-ve ab aliquo; sic vt aliquid agat, aut patiatur; adeò proindè, vt nihil aliud, quàm locum corporibus seu in se quiescentibus, seu per se transeuntibus præbeat. Adhæc, cùm per inane immensum dari possint amplæ regiones prorsùs vacuæ corporis; intra tamen mundum, seu rerum naturam, non dari magnas quasdam regiones inoccupatas à corpore, sed pusilla duntaxat spatia inter ipsa corpora mundi, eorum-ve partes intercepta; id nempè ob fluxilitatem, qua aër, aqua, & similia in spa-

tia à corporibus emotis relicta, confluunt, succeduntque; vndè & efficitur, vt in rerum natura non nisi spatiola, insensibilia-ve spatia inania sint, intercepta nempè inter particulas, corpuscula-ve, ex quibus corpora, siue firma, siue fluida componuntur: ac mirum proindè non sit, si natura dicatur exhorrere vacuum; sed grande nimirùm, ac sensibile: alioquin enim tantum abest, vt spatiola insensibilia exhorreat, quin esse potiùs sine illis non possit. Esse autem id simile, vt dum aceruus frumenti pati non potest intra se spatium aliquod granis vacuum, ob fluxilitatem, qua grana, si quis spatium, quantus est pugnus in ipsum intrusus, moliatur, in eiusmodi spatium confluunt, simul ac pugnus subducitur; cùm non possit tamen aceruus frumenti esse sine spatiolis inter ipsa grana mutuò interceptis (neque enim se per omnia contingunt, possunt-ve contingere) in quibus nihil sit substantiæ granorum. Denique autem ratio, quâ dari inane Epicurus collegit, ea fuit, quòd alioquin non fieret motus: sed hoc in progressu deducendum est. Fuere interim ista potius, quàm illa, quæ adeò ieiune, mutilateque de hac hypothesi protulit Morinus.

Cùm subindè porrò aliqua (sed sine titulo) subiiciat, quæ ad partem postremam, seu hypothesin, quòd Atomi sint rerum principia, pertineant: vt occasionem habeat intentandi quoque aduersus Gassendum sub ipso titulo hypotheseos inanis, venenatum aculeum: idcircò quid id rei sit, non est hoc loco prætereundum intactum. Deducens ergo Atomos ex Epicuro & Gassendo constitutiua rerum principia esse, atque idcircò nullas dari substantiales formas; tametsi illi velint qualitates rerum, vt lucem, calorem, & alias esse corpora, istud malignè interserit; *ita ut in vniuersa natura nulla sit forma substantialis, præter hominis formam rationalem, vel animam, quam solam Gassendus excipit, metu forsan Atomorum ignis.* Et quo quidem sensu formæ substantiales dentur; quorsum anima rationalis alio sensu sit habenda, quàm cæteræ, quarum ante concreta nihil est, & post concreta nihil superest: suo inferiùs loco commodiùs dicetur. Agnosce hîc solùm, mi amice, malignissimam virulentissimi, &

eane, angueque peioris ingenij malignitatem. Agnosce quàm verè contestatus initio fuerit se sine inuidia, sine vindictæ studio, solo veritatis amore, scripturum. Periurus infamis! qui protestationem illam iterando, & coram Deo ac hominibus euulgando, vt quasi Sacramento coram iudice & testibus se obstringeret, tam peruerso animo tamen, tamque fallaci mente fuerit, vt Sacramentum tam citò, tam crebrò, tam palam violarit? Nisi verò non ipse potius dignissimus est, qui viuus cremetur, aut etiam, qui in cruce confringatur, exteraturque; quando scorpione venenatior maledicentissimâ illâ suâ linguâ, quasi aculeatâ caudâ aduersùs innocentiam, famamque viri adeò benè-merentis; adeò innocentis spargere non cessat? Et putas, nisi optimus ille ipsum rideret, contemneretque, ac se stare longè euectiùs, quàm vt illius ictibus attingi possit, reputaret: nisi haberet se quasi in æthere puro constitutum, atque adeo longe supra regionem nubium, tetramque illam caliginem, qua obuolutus Morinus murmurat, crepatque instar tonitru, ac bruta sua fulmina ipse brutissimus intentat: nisi beato illo suo & Philosophico otio frui mallet, quã in noxæ compensationem pecudem petere, quæ pauperiem fecit, seu, quod Socrates quoque recusauit asinum, qui calcem impegerit, vocare in ius: Putas, inquam, non Magistratus seuere animaduerteret, non grauissimas exigeret pœnas à viro longè latronibus, qui de nocte surgunt vt homines iugulent, infestiore: quando tam palam, tamque efferatè non modo vitam eripere, sed etiam famam, quæ longe charior, pretiosiorque vitâ habetur, attentat? Meministi vt scorpius hic in suo Alarum fractarum libro, hoc est tunc, cum primùm violare amicitiam quam se cum Gassendo profitebatur colere, cœpit; aculeum similem prætextu amicitiæ intentauerit, dum *profectò*, inquit, *ipsi amicè consulo, ne cum sua fidei promissione verbis satis ambiguis exposita facie sit vnquàm Romipeta*, &c. Quam iure dicere illi potuit quod Christus Dominus proditori Iudæ, cuius se Morinus non degenerem filium exhibet; Amice, ad quid venisti? tu cuius amico consilio quasi osculo esse non possit consiliũ, siue quasi osculum inimiciùs.

Nulla tunc illi occasio erat cur professionē candoris plenam in suspicionem verteret; nunc autem quæ causa illi fuit, vt suum illud, *forsan*, cum verbis adjunctis interijceret? sed reputauit nempè iam aliquid amplius sibi licere; quando se hostem apertum gerit; quamquàm sanè se hostem gerit non tam aduersus ipsum Gassendum qui ipsum dedignatur, quasi hostem imbellem, ac degenerem; neque aliis armis, aliave peritiâ, quam impotenti maledicentia instructum, exercitatúmque: verùm aduersùs ipsum candorem, aduersùs ipsam veritatem, cuius vnius Gassendus se vnice studiosum ac vindicem præstat.

Iam vt ad Rationes à Morino impugnatas veniamus: dispeream, si quidquam inanius, & maiori cum vanitate, futilitate, jactantia proferri ab alio, quàm ab vno Morino possit. Rationem primam illam habet, quam mox ante insinuauimus; scilicet *nisi Inane foret, neque fore motum in rerum natura.* Subijcit autem Gassendi verba, quasi huius rationis explicationem continentia; verùm quia illa continent explicationem non rationis, sed instantiæ solùm, quæ fieri potest aduersùs responsionem ab Aristotele, Cicerone, Seneca, aliis, ipsi rationi oppositam; iuuat ipsius-met rationis explicationem commemorare. Ratione itaque ex Empirico, Lucretióque exposita, excipit Gassendus pagina 171. *Id vero quid sit, vt meliùs percipias, cogita vniuersum Mundum, si nihil inanis interspersum habeat, confertissimam esse molem, adeò vt corpusculum nè minimum quidem valeat de nouo suscipere. Quippe si nihil non plenum est, locus nullus restat complendus; quare aut corpus non admittetur, aut in illo loco collocabitur, in quo aliud iam situm est; sicque idem locus duo corpora sese vndique penetrantia capiet; quod sanè per vireis naturæ fieri posse non dixeris, deprehendes autem hac ratione aliquod-nè corpus ex ijs, quæ intra hanc molem disposita sunt, moueri è suo loco possit, vt inuadat alterius locum. Sanè cum locum plenum offendat, necesse erit ex eo pellat, quod corpus illum occupat. Illud porrò quónam concedat, si omnia quidem plena sunt? An ipsum rursus expellet aliud? At par redibit difficultas, continuabiturque in æuum. Quare si primum illud cor-*

pus cedere loco non valeat; nullum erit principium motus, ficque nihil mouebitur. Hinc vnaquaeque res Mundi sic erit inserta in aliam, vt magis è loco excedere nequeat, quam mytuli, seu cochleolæ illæ, quæ intra silices nascuntur. Neque dicas esse in Mundo rara, fluxaque corpora, quæ cedere magis, quàm silices possint. Siquidem nisi admistione inanis huiusmodi sint, particulaque omnes illorum contiguitatem vndique, seu secundùm totas superficies habeant, tale continuum corpus facient, vt perinde sit, seu ex silice, seu ex aëre illud dicas; neque enim aër vel paucioribus, vel minus compactis sui partibus occupabit locum æqualem, quàm silex; cùm quotcunque loci particulas feceris, tam nulla earum sit aëris, quàm silicis particulæ expers. Hoc ergo modo censet Lucretius, nisi sit Inane rebus intermistum, ita esse omnia stipata, vt non modò nulla res Mundi moueri loco iam valeat; sed neque explicari possit quomodo gigni quidquam potuerit, cum ad generationes rerum localis motus sit necessarius? Hactenus ille. Et quia antiqui respondebant aquam, aërem, aliudve corpus fluxile, per quod motus fit, ita antrorsùm cedere, vt eodem momento retrorsum in locum, qui mobili retrorsum deseritur, confluat, motúsque semper in pleno fiat: Lucretius autem sic institerat, quasi non esset quæstio de continuatione motus; sed

Vnde initium primum capiat res quæque mouendi:

Idcircò Gassendus huius-ce instantiæ explicationem adhibuit, quam solam retulit Morinus. Ea sic se habet pagina 172. *Finge videlicet debere moueri corpus per aërem: id vt contiguum aërem pellat, debet sanè pilum, quod aiunt, sua superficie versus ipsum procedere. At tantulum spatium, quantula pili crassitudo est, occupatum est: quare se in eo sistere non potest nisi prius aërem ex ipso depulerit. Quonàm autem ipsum depellet? an per latera ad locum retrorsum? at nondum vllus retrorsùm locus; quando ipsum nondum antrorsum processit? Igitur cùm tantulum Spatij, quantula est pili crassitudo, procedere non valeat, quia locus non est, quo aerem illum occupantem protrudere possit, neque habebit consequenter, vnde aerem vlteriorem propellat; sed necessitate reuinctum in eodem loco semper harebit.* Sequitur cohærenter, quòd Morinus tanquam plagiarius

giarius reticuit, vt mirabile quoddam suum arcanum de modo, quo motus incipit, proponeret, neque haberet Lector, vnde illum cum modo Gassendi cõferret; sequitur, inquam, *Enim-vero si esse concipias spatiola inania intra aërem, cuiusmodi sunt paullò antè descripta, analoga scilicet iis, quæ sunt inter tritici grana, & quorum causâ fieri potest aliqua granorum, dum varie premuntur, succutiuntur-ve, subingreßio, & in minorem locum reductio: tum concipies quoque, vt corpus vrgere poßit sua superficie corpuscula aeris contigua, quæ spatiolis vicinis recepta, contingant alia corpuscula; quæ & ipsa pulsa, rursus excipiantur vlterioribus vicinis spatiolis; atque ita porrò quousque facta compreßione & relicto pone loco partes aëris laterales, & ipsa ab anterioribus dissultantibus compressæ in eum locum effundantur; sicque quantum aëris prorsum pellitur, & compellitur, tantum pone per latera recurrat, atque dilatetur. Idem verò est dicendum de aqua, tametsi aqua liquiditate aeris maiore iuuatur, dum suis pulsa particulis, aereas faciliùs propellit, quàm suas, propter spatiola aeris ipsi incumbentis ampliora; ex quo fit, vt pulsa prorsùm aqua non-nihil attollatur, quemadmodum etiam pone depremitur.* Sic rursùs ille.

Morinus ad ea, quæ selegit, *Respondeo*, inquit, *primo*, & repetita argumenti vi, *verum istud*, inquit, *arcanum naturæ Gassendus non intellexit.* O mirabilem igitur Morini intelligentiam! quæ arcanum nouum, & ipsi Gassendo incompertum assequuta sit. Et quodnam igitur hoc arcanum, Morine? iam pridem enim nouimus, quidquid parturis, esse arcanum, & priùs mundo incognitum; Arcanum inuentum longitudinum; arcanam solutionem famosi, & antiqui problematis, arcanã cabbalæ domorum cœlestium detectionem; arcanã, & nouã mundi sublunari anatomiã; arcanum denique quidquid ratiocinij per tuos omnes libros respergis. An-ne iam tiisti, atque obtinuisti huius arcani præmium, quemadmodũ & petere, & immenso tandẽ clamore obtinere te semper confidisti, vti & reipsâ nullius non fores importunè pulsans, atque quiritans, iniecta semper aliqua offa, Cerberi instar latrans, donaris; age igitur, quodnam hoc arcanum? *Certum est*, inquis, *quòd corpora contigua separari renuunt, nisi eodem*

momento aliud succedat continuum. Habes in mente, vt videtur, duo corpora plana exquisitè polita, quorum vnum alteri superpositum iaceat, quorumque superius ab inferiore separari renuat, nisi aër contiguus in locum relictum succedat. An hoc tuum illud arcanum est? at hæc est obiectio vulgaris, & ex Lucretio pagina 175. citato potuisti rem cognoscere. An arcanum est id, quod dicis, *nisi eodem momento*? Ne ludere æquiuoco valeas; quid intelligis per *idem momentum*? An tempus quoddam breuissimum atque imperceptibile? an punctum seu Instans indiuiduum temporis? si prius, temet iugulabis, priusquàm arcanum prodideris; si posterius, planè extabesces, priusquam arcani præmium consequaris. Exspecta, inquies, nondum omnia dixi. Exspecto Morine, quid-nam rei est? *Alioquin*, inquis, *daretur vacuum, non quidem minimum in spatiolo, sed etiam magnum inter duo illa corpora contigua, contra mentem, ac hypothesin Epicureorum.* Hîc adhûc magis agnosco te intelligere duo corpora plana, vt duas marmoreas tabulas; nam in exemplo quidem de progrediente per aërem homine, quod Gassendus exposuit, id vacuum quod posticô fit, dum antrorsùm vel pilum, aut etiam partem millesimam, vel decies millesimam pili (figurata enim fuit locutio ob prouerbium, ne pilum quidem, vt pagina 435. declarat) non est magnum id vacuum, ob quod resistunt corpora. Sed perge tamen; *non succedet autem aliud continuum, nisi fiat separatio illorum contiguorum.* Intelligo, Morine, non succedet aër inter marmoreas tabulas, quæ contiguæ sunt, nisi ab inuicem separentur. Quid sequitur? *nec separatio hæc præcedit illam successionem tempore.* Ah, Morine! præmium non capies; iam enim declaras non intelligi à te tempus aliquod breuissimum, sed instans temporis indiuiduum. *Alioquin daretur*, pergis, *vacuum magnum supradictum*: imò nisi detur Morine, quantum est, nempe ab extremis ad medium vsque tabularum, visurus es modò, quid ex te sequuturum sit. *Ergo*, inquis, *separatio, & successio fiant eodem instanti temporis.* Istud iam tenebram Morine, idipsúmque est cuius causâ exspectare præmium non debes? *Primóque*, pergis, *succedit aer, qui contiguitati*

corporum propinquior est; Ah! Morine etiam te ipsum iugulas: sed conclude tandem, vt tuum arcanum Gassendo ignotum illi innotescat. *Ideoque*, inquis, *nullum dari potest vacuum inter illa corpora; nec ob easdem rationes, inter omnia corpora concreta.* Hactenus ergo arcanum est? Vah agyrta fumiuendule, imô & quouis agyrta vt impudentior, sic imponentior, atque adeò impostor grauior! Verùm quo arcanum tendat, expendamus. Ecce quia noluisti ex lecto apud Gassendum Lucretij loco rem cognoscere; ecce, inquam, cuiusmodi id sit, ob quod insolescis arcanum. Sunto illæ duæ tabulæ rotundæ, & vel duorum solùm pedum diametro, vt centrum vtriusque distet vnde-quaque vno pede ab aëre communi vtriusque circumferentiæ contiguo. Certum quidem est tabulam superiorem, etiam præter suam grauitatem, sui eleuationi, siue sui abductioni restituram? at non profectò metu vacui, sed ob aliam causam Morino ignotam, quamque verisimile est illum ex Gassendi lectione nusquam percepisse; verùm hoc non est quod hîc loci vrgeo. Attollatur ergo, quacunque vi id fiat; certum est quo momento, vel ad vnum latus quàm-minimum abductum est, totam illius superficiem à tota alterius superficie abductam esse; quando vtraque vt plana, ita solida, inflexilisque supponitur. Cùm debeat igitur vel, per te, qui aër circumquaque est contiguitate propinquior, inter illas duas superficies sic succedere, vt vndique ex circumferentia ad ipsum vsque centrum pedis vnius spatium percurrat, succedente interim ipsi alio aëre, qui erat à contiguitate remotior. Quæso ex te, quæ tua mens sit, dum pro tanto arcano habes, & tabularum separationem, & successionem aëris per totum hoc pedale spatium eodem momento fieri, seu separationem totius tabulæ à tota (quæ eo ipso momento fit, quo aër contiguus subiens in ora vtriusque extrema est) non præcedere tempore successionem aëris per digitum primum, secundum, tertium, & ad vsque duodecimum, qui terminatur ad centrum? Arcanum ergo tuum in eo est, vt motus localis fiat in instanti; vt ab extremo ad extremum (ab ora putà vsque ad centrum) medio non pertransito fiat: vt idem corpus simul ac

semel, seu eodem momento sit in locis pluribus, aër purà in duodecimo, vndecimo, cœterisque digitis, eodem temporis puncto, quo in primo: vt proindè globulus æneus mosqueto explosus sit simul eodemque momento & in fistulæ orificio, & in quinquagesimo passu, quo interimit hominem, & in omnibus locis intermediis; siquidem discrimen non est, nisi secundum maius & minus; cum alioquin tempus vtrobique vt breuissimum, sic imperceptibile sit: infœlix! & non-ne metuisti, ne ob hæc & alia, quæ ex hoc arcano tuo deducuntur absurda absurdissima, apud Physicos omnes vapulares, & ab eorum Scholis (vt etiam indignus, qui tyro audires) abigereris? Ac fortè quidem condonandum, si tuam ignorantiam simpliciter proderes: at eam insolenter quasi arcanum magnum, & ipsi Gassendo non intellectum, iactare quis ferat? Quis est, apud quem, hac re cognita, non pro nugiuendulo nugacissimo, iactantissimoque habeare? At verò, inquies, si hic motus cum successione temporis imperceptí fiat, an-non sequetur igitur, quo momento aër contiguitati proximus extremam solùm oram circumquaque occupat intercipietur spatium inane, quod bipedale sit, ac deindè minus, minusque, quousque aër peruenerit ad centrum? Id conceditur, Morine, quid inde? hoc erit, inquies, non modo spatiolum inane, verùm etiam magnum, quippe bipedale contra mentem ac hypothesin Epicureorum. Mentiris, Morine, ac tibi ipse fingis esse hoc contra illorum hypothesin ac mentem. Ecce enim Lucretium eo loco, cuius aliquoties iam commemini, & ex quo ipse argumentum, aliis licet verbis deduxi;

Postremò, duo de concursu corpora lata
Si citò dissiliant; nempe aer omne necess' est
Inter corpora, quod fuuat, possidat inane.
Is porrò, quamvis circum celerantibus auris
Confluat; haud poterit tamen vno tempore totum
Compleri spatium; nam primum quemque necess' est
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.

Fefellit me, inquies, Gassendus, cùm pagina 169. *controuersi* quidem dixit *an detur inane rebus interspersum, sed*

ferè tamen constare posse, non dari vllum, quod magnum sit, sensibile, putà spatium aliquod, quale haud dubiè est bipedale. Verùm non ipse te fefellit, sed ipse inuidiâ turgescens videri maluisti arcanum quoddam illum docere, quàm eius mentum capere, vt arcanum potius ab eo docereris. Dixit ille magnum inane non dari, & vulgari modo loquendo, naturam ab eo abhorrere? at non dixit tamen repugnare vt detur, si nimirùm vis aliquantò maior solito interueniat: vt si folles, quorum orificium occlusum fuerit, vi paullò maiore, quàm vulgò tentari solet diducantur; vt si intrusus embolus ex diabete cuius obturatum pariter orificium sit, vi paullò maiore, quàm vulgô explorari solet, retrahatur; atque ita de cæteris; vt fas tibi fuit intelligere ex duplici illo Gassendi tractatu de facto nupero circa inane, magnum, coaceruatumque experimento, quo scilicet tubus vltra duos pedes cum triente longus, & altera parte hermeticè occlusus, hydrargyro oppletur, orificium digito obturatur, & conuersione sursùm facta orificium cum digito in hydrargyrum restagnantem immittitur, subductoque digito, pars inclusi tubo hydrargyri sic defluit, vt ad altitudinem duorum pedum cum proximè quadrante resistens, partem tubi retro, superne-ve inanem relinquat: Alterum scilicet tractatum legisti in serie animaduersionum à pagina 424. Alterum in Appendice à pagina 111. Non est certè quorsum excuses non pellegisse illos te; quandò & totam eam Philosophiam quasi cribrare aggressus es, & pagina tuæ dissertationis 19. vbi de aëris natura, locum obiter citas, ex priore, qui habetur pagina 434. Non nequicquam verò hoc obseruo; quoniam dignum est consideratione, te, cum tam multa aduersus inane in Epicurea Gassendi Philosophia expositum dissereris, intactos tamen prætermisisse Tractatus illos integros, in quibus dari inane probatur; idque eiusmodi experimento, quo hac tempestate nihil est celebrius. Sed nempè eos non attigisti, quia non habuisti, quid ad tale experimentum responderes; ac ideò maluisti id dissimulare, quam ignorantiam tuam prodere. Et non-ne metuere debuisti versum tibi iri probro maximo, scribendum hocce tempore

suscepisse aduersus inane; & non respondisse tamen ad experimentum, quo iam dari inane celebritate tanta comprobatur? Et non-ne erit cur meritò omnes omnem te pudorem exuisse mirentur; dum statim post citata extrema arcani tui verba, hoc legent: *dum enim dicunt naturam non admittere magnum inane, sed paruum merus est paralogismus: id probent*, cùm, inquam, legent, te tantâ audaciâ petere vt probetur id, quod in tanta luce probatum tu dissimulas? cum peruidebunt te, qui tractatus illos legeris, in quibus & dari magnum inane admittitur, & ideò solùm dari docetur, quia dari paruum probatur (vnde & magnum non alia ratione coaceruatum dicitur, quàm quia ex multis paruis coalescit) cùm peruidebunt, inquam, te sic insultare; & nescientem alioquin, quid syllogismus legitimus, quid paralogismus sit, obiicere paralogismum? Cætera prætereo, quæ tui illius arcani amore cohærenter garris, téque iugulare pergens balbutis: Nam & quod concludis, *Omnia igitur fiunt simul tempore à prouida, & sagaci natura; non autem vnum priùs tempore, quàm aliud, vt putauit Gassendus; quamuis prioritate rationis separatio præcedat successionem*: Nihil aliud, quàm vt canis ad vomitum redis, vomituramque tuam resorbes, dum miserè paralogizas, deceptus ea distinctione prioritatis duplicis, quæ in tantam te induxit hebetudinem, vt credideris prius & posterius, quod in successione est motus, de prioritate & posterioritate non temporis, sed rationis intelligendum esse. Sed hæc de responsione prima.

Respondeo, inquit, *secundò, quod si dum mouetur corpus in aere, ipsum corpus pellit aërem contiguum in proxima ipsius aeris spatiola inania: ergo continuatione motus pelletur idem aer in sequentia spatiola inania; ideoque per motus corporum tam cælestium, quàm sublunarium tolleretur Inane de vniuerso.* ô hebetem paralogistam! quasi verò cum aëris corpuscula à mobili pulsa, subingressa in vicina spatiola inania fuerint, consistere illic non valeant, tanquam locum sibi æqualem adepta, potiusquam alia corpuscula vlteriora compellere? Id fieret, si impulsus aër vndique plenus, stipatúsque, & sine Inani intercepto foret, vt totus nempe, ac vnà etiam cœle-

ſtis machina moueretur, eo modo, quo dum vno extremo trabs impellitur, tota ſimùl impellitur. Id autem iam in aëre pariter non fit, ob ſpatiola intercepta, in quæ pulſæ aëris partes poſſint recipi: vt neque totum vellus pellitur, dum vna eius pars manu, aut digito comprimitur, quòd ſpatia pilorum intercepta ſint, in quæ recipi preſſi pili poſſint. Pergit ſtatim, *Adde quòd motus generat calorem, & calor raritatem, quæ fit admiſtione plurimi inanis, denſitas verò excluſione eiuſdem inanis, vt Epicuro & Gaſſendo dicetur inferiùs.* Quoniam id dicetur inferiùs, nihil præoccupo; ſequitur: *ergo per motum potiùs creſcet Inane, quàm tollatur de vniuerſo, ex eorum mente.* ô quàm acutè! Ex eorum mente? Et quomodo ex eorum mente? An non quia id illis perſuaſit, quæ allata eſt ſecunda Reſponſio? ô perſuaſorem mirificum! Et concludit quidem, *non ergo per motum corporis in aere, & huius ab illo compreſſionem aer corpori contiguus pellitur in proxima ipſius aeris ſpatiola inania:* Sed operculum ſuâ patellâ dignum. Veniamus ad alia.

Secunda ratio, inquit Morinus, *ignota fuit Epicuro, eſtque Gaſſendi pagina 175. Eſto, inquit, Pneumatica bombarda, & ſit pars tubi aerem comprimendum continens, digitorum, verbi causâ, duorum. Si nulla ſunt ſpatiola inania illi aeri intermiſta, ergo tanta eſt moles aeris, quanta eſt capacitas, ſeu locus ille intra tubum. Ergo nulla eſt, vel minima particula loci, in qua aeris particula ipſi adæquata non ſit; Ergo & particularum aeris numerus æqualis eſt numero particularum loci. Eſto igitur iſte numerus quantus-libet, verbi causâ, mille. Comprimatur deinde aer, & ad vnius digiti ſpatium redigatur; Quæſo quo pacto ſe in illo habeant mille partes aeris, ſi quidem iam loci non ſunt, niſi quingentæ? An-non geminæ quæque in ſingulis ſunt, ſicque duo corpora in eodem adæquato loco? Et niſi iam ſint duo in eodem loco, non-nè antea vnum in duobus erat locis? Si enim iam non habet plureis parteis, quàm quæ partibus digitalis loci complendis ſufficiant; qui fieri poterat, vt illæ duplo pluribus eſſent ſatis?* Pergit. *Atque hîc ſtupet maximus Gaſſendus; nec tamen ſuo ſtupore magis probat inania ſpatiola, quàm ſuis inanibus quæſtionibus.* Quid ais, impoſtor? ille neque

subindè stupet, neque quas rogauit quæstiones eæ sunt, quę aut non conficiant inania dari spatiola, aut esse te, qui obloquaris, stupidissimum non conuincant. Et quod ille quidem non stupeat, sed simpliciter, ac vno tenore cohærenter declaret quemadmodum illa aëris compressio intra bombardam pneumaticam fieri ex datis in aëre inanibus spatiolis possit, hæc, quæ tu absuisti, vt pro tuo liuore attexeres, subdit. *Sed rem indicasse sufficiat, ac simul innuisse, vt tritici grana in modium effusa, ipsumque complentia possunt succutiendo in minus spatium redigi, quoniam ex laxiore congerie in stipatiorem abeunt, dum iuxtà cuspides, lateráque meliùs inuicem coaptantur, neque amplius spatiola tam ampla intercipiunt; sic corpuscula aëris tubo comprehensa posse comprimendo in angustius spatium redigi, quoniam ex rariore, seu laxiore contextura in densiorem, seu stipatiorem adiguntur, dum anguli, & laterula ita inuicem aptiùs componuntur, vt exquisitiùs intercepta spatiola inania compleant, ac totum adeò locum arctiorem faciant, & obtineant.* Videamus quid tu.

Respondeo, inquis, *primò: concessa aëris compressione, duas eius particulas esse in vnica loci particula; sed hic committi à Gassendo Sophisma à dicto simpliciter ad dictum secundum quid.* Benè iam tibi sit, Morine, quod duas aëris compressi particulas esse in vna loci particula admittis; hoc est cùm duæ illæ particulę sint duo corpora, cuius alterutrius locus adæquatus vna particula loci sit, fateris posse duo corpora in vno, eodémque loco adæquato consistere. Quod enim alioquin Sophisma committi à Gassendo contendis, nihil aliud, quàm tuam vanitatem, hebetudinem, ignorantiam prodere pergis. Vanitatem, quâ sapere supra Gassendum ineptè affectas; hebetudinem, qua imprudens in id sophisma incidis, quod gestis redarguere? Ignorantiam, qua tę nescire quid sit Elenchus πῇ ἢ ἁπλῶς *quadamtenus & simpliciter*, de quo loqui audijsti, demonstras. Declarat nimirum Aristoteles ex ignoratione huiusce Elenchi Sophisma committi, cùm affirmatio, & negatio de eodem non est, vt si quis id, quod dicitur quadamtenùs album, tanquam album simpliciter accipiat: quoniam eius affirmationis, quòd aliquid

aliquid sit quadantenùs album, negatio non sit simpliciter album, sed non album quadamtenùs; vti & eius affirmationis, qua quid dicitur simpliciter album, negatio non est quadamtenùs album, sed album simpliciter. Porrò cum Gassendus ex communi sententia accipiat plenum aërem simpliciter dictum, argumentatur aërem non esse simpliciter plenum, nisi quis admittat illa incommoda, vt duo corpora in eodem loco alterutri adæquato simul sint; aut vnum corpus in duobus, quorum vterque sit ipsi adæquatus: qua in re ille nihil peccat, verùm sic perspicuè redarguit, vt tuam aciem planè perstringat; Tu verò ipse, cùm deberes de aëre pleno simpliciter dicto arguere, rem deducis ad aërem quadamtenùs dictum, seu quatenùs liber, compressus-vè est, & eo quidem sensu, quem minimè capis. Verba scilicet tua sunt: *Nam cùm locus dicatur adæquatus, ergo respectu alicuius dicitur adæquatus; illa autem loci particula est locus adæquatus vnius particulæ aeris liberi, sed est etiam locus adæquatus duarum particularum aeris compressi.* Quæso proinde an-non ipse sis, qui Sophisma potiùs committis! vt ostendam autem non capere te quid illis dicas vocibus, ita paucis vrgeo. Aërem vocas liberum illum, qui intra tubum bombardæ est, & digitorum quidem duorum, priusquàm embolo comprimatur. Cùm non sint igitur per te in hoc aëre inania vlla spatiola intermista; spatium illud digitorum duorum est simpliciter, prorsúmque plenum aëre, & nulla omninò illius, non dico solùm millesima, neque millies millesima, sed quantulamcúmque sumere volueris, particula est, cui non sua prorsus adæquata aëris particula respondeat. Verùm cùm vnius cuiuslibet particulæ ratio eadem sit, quæ aliarum ipsi æqualium quarumlibet, vnam accipiamus tàm loci, quàm aëris, quæ tantula sit, quantulum est. v. g. papaueris granum. Cúmque istud veluti granum liberi aëris ex quotcunque voles, minoribus particulis constet, nulla omninò erit talis particula, cui suus adæquatus locus non respondeat, vti & cùm loculus grani ex totidem particulis constet, nulla erit cui non respondeat sua grani particula. Iam contendis tu istum loculum, qui vni grano aëris liberi adæquatus est, fie-

ri etiam posse loculum alterius grani superuenientis; adeò vt ex duobus granis aëris liberi, fiat vnum granum aëris compressi. At accipe non totum granum superueniens, sed vel minimam illius particulam in quanàm loci particula illam collocabis? Delige quamcunque voles particulam loci, illa occupata adæquatè est, ab æquali grani inexistentis particula; quare & nullum locum habebis in quo tuam hanc nouam particulam colloces, nisi is sis, qui facere possis vt particula vna in aliam totam penetret, sicque duo corpora sunt in eodem adæquato loco. An dices fortè particulam, inexistentem à superueniente cogi, vt secedat, ipsique locum præbeat, sed quò putas illa secedere potest, quæ omnia plena, adæquatéque occupata retrò se habet, nisi velis iterùm illam cum vicina sese penetrare, sicque in eodem esse duo corpora? Quod verò dico de particula vna, idem de toto grano dicendum: nam quòd tu imaginaris posse granum inexistens aduentu alterius comprimi; compressio hæc fieri non potest, quin particulæ, quæ ad superficiem sunt, versùs interiores concedant; quomodo autem intrò concedent, nisi eadem cum particulis interioribus loca occupent, seu in vlteriores ita penetrent vt in ijsdem simùl sint locis? Siquidem quotcunque & qualescunque particulæ sunt, habent singulæ sua singula adæquata loca, neque admittere in illis particulas vllas aduenientes possunt, quin se cum illis penetrent, vt in iisdem locis consistant. Hæc igitur sunt, quæ non peruidisti, neque adeò intellexisti, quid aërem liberum, quid compressum diceres? Quippe & si intellexisses, debuisses saltem explicare qua ratione fieret liberi aëris compressio, vt proindè posset vnus, idemque esse & vnius particulæ aëris compressi, & duarum liberi adæquatus locus? Nam hoc nudè proponere aduersùs Gassendum, qui aliundè tam perspicuè exposuit, quî possent duæ partes aëris liberi non maiorem locum, quàm vnam compressi occupare, viri impotenter garrientis, nihilque omninô dicentis fuit. Hinc iudicent alij, quo iure istud inferas, *non ergò maius est inconueniens duas aëris compressi particulas esse in ipso loco, quàm vnam aëris liberi particulam, sicque stupori Gas-*

fendi nullus supereſt locus. Nempe tam tui ſimilis es; vt prorsùs non ſit quorsùm ille ſtupeat, te, vt ſemper aliàs ita hîc ridiculum eſſe. *Adde quod*, pergis, *duæ particulæ aëris compreſſæ non ſunt duo corpora, ſed vnicum*: Sed dic miſelle! quomodo? niſi quia ex te ſequitur, vt ſe inuicem penetrent, ac in eodem ſint adæquato vtrius-vis loco: neque enim alia ratione illa duo corpora haberi poſſunt vnicum corpus.

Reſpondeo, inquis, *ſecundò vt ad primam rationem, quod ſi*, &c. Verùm quia nihil aliud hoc loco, quàm eaſdem verſas quiſquilias; idcircò non eſt cur eas amplius morer.

Tertia Ratio, inquit Morinus, hæc eſt, *Quærit iterùm Gaſſendus pagina* 298. *dum aqua vertitur in aerem, aut aer in aquam (dixit aerem pro vapore, neſciens quid ſit aer, ob ſuam de Telluris motu opinionem) Raritas-nè ſiat interceptione plurimi Inanis*, &c. Maligniſſime hominum Morine! an-ne occaſionem aliam non habuiſti exhalandi rabiem, quæ tibi interanea corrodit, & quaſi furiis exagitat; dum non contentus toto libro eam falsò affinxiſſe Gaſſendo opinionem, quam non dolebas ſolùm, ſed ringebaris etiam, quod non ſuam eſſe diceret, vt efferaſcere in eum magis poſſes, captas hîc non minùs ineptam, quàm malignam anſam interſerendi Parentheſin, qua quid dicat neſcientem facias *ob ſuam de Telluris motu opinionem*? Vt porrò æquè & ineptus, & malignus eſſe proberis; lubet locum integrum, non verò, vt à te factum eſt, detruncatum apponere. Loquens Gaſſendus paginâ citatâ de Raro & Denſo, hæc habet inter cœtera. *Difficultas iam eſt, an rarum maiorem locum occupans, totum illud ſpatium ſuperficie circumſcriptum ita occupet, vt omnes etiam, ac ſingulas, minimaſque eius particulas compleat; neque vllum ſpatiolum quantum vis exiguum ſit, in quo non aliqua materiæ Rari particula ſit; an potius verò ſint partes ſpatij inſenſibiles intermiſtæ; quæ partibus nullis materiæ compleantur, atque adeo ſint inania illa ſpatiola, quæ ſuperiùs deſcripta ſunt. Vnde & quæritur, Raritas-nè ſiat interceptione plurimi Inanis, cuius occaſione partes materiæ prius adunatæ à ſe inuicem diſtrahantur, corpúſque tantò rarius ſiat, quantò plura, ampliora-ve ſpatiola inania intercepta fuerint: Denſitas verò ex-*

clusione eiusdem inanis, cuius occasione partes materiæ priùs distractæ adunentur, corpusque tantò euadat densius, quantò pauciora, minora-vè spatiola eadem extiterint. An verò contingat rem fieri ratione quapiam aliâ, qua spatiolorum inanium nulla sit prorsùs intermissio? Porrò ostensum superiùs est, cùm de Inani ageretur, non patére rationem aliam: quoniam nisi in corpore raro inania admittantur spatiola, sed partes materiæ illius loci partibus coæquentur (nulla scilicet existente particulâ loci, in qua materiæ particula non sit) oporteat, dum fit condensatio, plura corpora (hoc est centum, exempli gratiâ, particulas aëris in aquam conuersi) esse in vno, eodemque qui adæquatus fuerit vnius particulæ locus; & ex opposito oporteat, dum corporis densi rarefactio fit, vnum corpus (exempli causâ, vnam aquæ particulam factâ in aërem conuersione) esse in centum distinctis locis, quorum nimirum quilibet sibi exstiterit adæquatus. Hic itaque est locus, ex quo inepte primùm instituisti rationem nouam seu tertiam, tanquam à secunda diuersam; cùm nihilominùs eadem sit, vt constat vel ex illis verbis, *Porrò ostensum superiùs est, cùm de Inani ageretur, non patere*, &c. quæ tu suppressisti, vt prętextu speciosiore cauillareris. Deinde longè adhûc ineptiùs, ineptissime hominum, captasti occasionem interserẽdi Parenthesin, quâ Gassendum carperes, quòd dicendo *aquam verti in aërem, aërem in aquam*, dicere *vaporem*, non *aerem* debuerit: non aduertens, miser! te sub Gassendi nomine carpere Aristotelem, qui capitibus integris transmutari in se mutuò vt elementa cetera, sic speciatim aquam, & aërem dixit; sed vniuersam quoque nationem Philosophorum tum Antiquorum, qui seu vnum seu plura elementa constituerent, illa reciprocatione quadam conuerti inter se, edixerunt: tùm recentiorum, apud quos nihil auditur frequentius quàm aquam in aërem, aërem in aquam mutari; imò & teipsum quoque qui aut abiuraturus es Aristotelem, aut admissurus aquam conuerti, nisi immediatè saltem mediatè in aërem; cùm cæteri non aliomodo suam conuersionem intelligant. Sed nimirùm tanti fuit, vt captatâ hac ansâ Gassendum reprehenderes, & quemadmodùm deberet Latinè loqui, præscriberes;

hoc est, amica luto sus Mineruam doceres. Declarauit ille non vno loco, quid sit vapor (sponsionem faciam interim, si tu adhuc nosti esse aliquando vaporem & calorem synonyma) docuit non semel vt fumus, ac vapor ex aqua creetur: vt is adeò amplificatus supra aquæ molem appareat, propter aërem interceptum, illis quasi granulis instar excitatæ ex puluere nubis: Exposuit sæpius, vt respersa per aërem hæc granula naturam aquæ non amittant; ipsaque esse, quæ suis temporibus in pluuiam & rorem cogantur: sum ipse conscius existimare illum elementa hæc, vt vulgò accipiuntur, esse adinuicem intransmutabilia, & neque ex terra aquam, ex aqua aërem, ex aëre ignem: neque reciproce ex igne aërem, ex aëre aquam, ex aqua terram fieri; verùm cùm agens de raro, & denso, & nihil istorum, aliorumque id genus discutiendum ex professo foret, ac opus solùm esset exemplo, quod in confesso foret omnibus, id vsurpauit, de quo vt dixi, tota Philosophorum natio consentiret; & (quò cauillari ineptiùs iniustiusque cum tuo vapore deprehendaris) Ciceronem est haud-dubiè secutus, qui dixit *vaporẽ esse quemdam aerem. Dixit*, inquis, *Gassendus aerem pro vapore nesciens quid sit aer.* Scilicet tu ô iterùm ex volutabro luti animal, docere illum quid sit potes? At nescire id illum, ais, *ob suam de Telluris motu opinionem.* I maligne, & quia non potes venenum tuum deponere, illo, quousque rumparis, turge.

Sed Respondeo, inquis, *primò data, non autem concessâ hypothesi Gassendi, quod nempe vapor solus occupet spatium centies maius, quàm aqua, ex qua factus est, idem hîc committi sophisma, quod solutum est in ratione secunda.* Igitur tu quoque agnouisti, ineptè, rationem hanc tertiam non aliam esse quàm secundam? Quia verò iterùm nihil aliud quam tuam vanitatem, hebetudinem, ignorantiam pergis prodere, quorsùm repetam instantiam non subest. Obseruo duntaxat Gassendum non illo loco hypothesin fecisse, sed respexisse solùm ad id, quod paullò ante enunciarat his verbis, *Ex quo fit, vt si concipias istam aquam* (certo putà vase contentam) *rarescere in aërem, & illum aërem densari in aquam; aër*

ex aqua rarefacta creatus impleturus sit vas capacitatis non decuplò solùm, sed centuplò saltem maioris; & aqua ex aere condensato creata impletura sit vas centuplo minoris, &c.

Respondeo, inquis, *secundò, quòd si rarefactio aquæ in vaporem fiat inanis interceptione, & densatio vaporis in aquam inanis exclusione; sequeretur quod in vapore essent 99. particulæ inanes*, aut etiam vt statim post subdis, quòd aqua longè ampliùs rarescat, *999. pro vna materiæ: hoc autem contrariatur Epicureis, qui negant dari vacuum sensibile.* Quæris subinde *vnde* vapore intra vas hermeticè sigillatum ex aqua creato, *accidunt ipsi 99. vel 999. partes inanis; & dum vapor densatione redibit in aquam: quid fiet de 99. vel 999. partibus inanis, quas includit?* Verùm tu Gassendi mentem præteris, argumentantis ad hominem, & ex vulgari hypothesi, quæ statuit aquam rarefactione in aërem verti absque intermistione præexsistentis aëris; adeò vt eadem & sola aquæ materiâ ampliorem locum sub aëris forma, quàm sub aquæ forma occupet. Ostendit autem fieri id non posse, nisi intercipiantur inania spatiola, quæ ipsas aquæ particulas comminutas discriminent, cùm non plures partes materiæ in aëre, quàm in aqua sint; heinc est cur aduersus Aristotelem, à quo facta eadem sit hypothesis, argumentetur; dum ille, vt eam tueatur esse eandem assumit contrariorum materiam, vt caloris, & frigoris, quæ vtrumque potentiâ sit, adeò proindè vt cùm rarum, & densum contraria sint, eadem materia sit tam rarum, quàm densum potentiâ: tandem autem pluribus deductis, & similitudine illâ aceruì, & granorum tritici resumptâ, ista subiicit. *Eodem planè modo; cùm eadem materia nunc rarescit in aërem; nunc densescit in aquam, maiorem quidem aut minorem esse circumferentiam, atque adeò capacitatem, quæ ab ea comprehenditur; sed capacitatem tamen illam non ampliùs, aut minus occupatum habere ab iisdem partibus in vno statu, quàm in alio: cum vnaquæque semper suum & neque maiorem, neque minorem loculum, quàm suæ moli debitum habeat: & vniuersum discrimen sit penes diductionem, contractionem-ve inanium loculorum interceptorum. Ex quo fit vt dicere liceat, tantumdem materiæ, seu rarefactum seu condensatum,*

occupare semper tantumdem veri, & germani loci, siue spatij, quod spectari debeat, quatenùs repletur corporis partibus seorsim consideratis, licet ex vulgari concipiendi modo dicatur corpus rarefactum occupare ampliùs, condensatum minùs; quatenus locus consideratur, vt vniuersa capacitas intra superficiem vulgari sumptam modo contenta; & ipsi materiæ seu corpori attribuantur spatiola tam occupata à partibus, quàm alternis inter illas relicta, eo modo quo vrbs dicitur non tantùm domus aut parietes, sed etiam vici, plateæ, canales, quatenùs eisdem mœnibus cinguntur. Ex hiscè ergo tu factus cautior dicere ampliùs *aerem* cum Aristotele & aliis noluisti; sed *vaporem* solùm, vt, quia vapor manifestè commistum habet aërem, qui illis intercipitur, difficultatem euaderes; At non euasisti neque euades vnquam, qui dicere vnquam non possis, quî non admisto inani fiat vt rarum & densum eodem spatio circumscribantur, quin sit vnum corpus in pluribus locis, vel corpora plura sint in eodem loco. Quod repugnare autem Epicureis dicis dari inane sensibile? id quàm verum sit, constat ex iam dictis. Hîc autem addo, cùm rarefactio vi caloris fiat, eam esse corpusculorum caloris vehementiam, vt dum partes densi corporis diducunt, partes circumstantis compellant ea vi, quæ ad inducendum inane solito maius sufficiant, ac id tantò esse sensibilius, quantò fuerit calor vehementior, vt proindè partes circumstantis compressæ tanto connixiùs repetant situm, quantò corpus densum rarefactius seu inanibus spatiis interruptius euadens ipsum magis compresserit, vt multis proportione exemplis memoratorum Tractatuum priore declaratum est, & speciatim de calore aut igne tam communi, quàm dicto Græco duorum posteriore. Neque est, quòd quæras, vnde aut aduenìant, aut quò abeant inania illa siue plura, siue maiora spatiola; quippe immota semper consistunt, ac eatenùs intercipi, excludi-ve solum dicuntur, quatenùs corpora, quorum motus est, ipsa intercipiunt, aut occupant: cæterùm enim ridiculè illa, aut aliundè accidere, aut aliò trudi imaginaris.

At Respondeo, inquis, *tertiò quod in conuersione aquæ in va-*

porem, vt vaporis materia non est maior, vel minor materiâ aquæ; sed huic omninò est æqualis; imò est eadem dilatata, & expansa: ita locus vaporis non est maior, aut minor loco aquæ; sed huic prorsus æqualis; attamen dilatatus, aut expansus, vt materia, quam recipit: nec solus vapor totum occupat spatium, in quo expansus cernitur, sed in eo commiscetur aëri, quem penetrat, cuique locum aquæ, ex qua factus est, derelinquit occupandum; sicque fit locorum vaporis & aëris iusta permutatio sine vlla vacui admissione; vnde sequitur superiorem hypothesin Gassendi falsam esse, nempe quod vapor solus occupet spatium centies aut millies maius, quam aqua ex qua factus est; nec fortassis hoc quisquam hactenùs animaduerterat. Id autem subindè accipis in vase hermeticè sigillato.

Hæc porrò est Responsio, qua intellexi factum te ex Gassendi lectione, cautiorem, cùm non *aerem* ampliùs dicere, sed *vaporem* prætulisti, quem notum est ita dilatari vt partibus suis, quasi granulis aërem intercipiens, non modo partes aëris minutulas hîc illic interiectas habeat, vt dum vapor, fumus-ve aquæ ex vase bulliente, & per caminum egreditur; sed amplissimas etiam, vt dum fumus exinde sic respergitur vt visui prorsus eripiatur. Quàm lepidus interim es! cum obseruans *vaporem non occupare maius spatium, quàm aquam ex aqua factus est.* Verba hæc subiicis, *Nec fortassis hoc quisquam hactenus animaduertit.* Plagiarie; quasi verò hoc non idipsum fit, quod ex recitato mox ante Gassendi loco accepisti? Qua igitur fronte tibi id vindicas? An-non, quia nisi quis contradicat contendisti exindè facere arcanum, pro quo præmium deposceres? Quid quòd, illud etiam, ex quo id deducis, vapori nempe, siue fumo ex aqua creato commisceri aërem, ex eodem Gassendo accepisti? Nempe locus illius est pagina 333. *Agnitu autem facilè est non alia ratione differre aquam, quæ est intra Lebetem igni superpositum, & fumum ex ea ascendentem, quàm quòd aqua sit corpus densius, & fumus idem-met sit corpus, sed rarius; quodque ex aqua fumus fiat, dum secretis eius particulis aer intercipitur, & ex fumo aqua, dum coeuntibus eius particulis aer excluditur; adeò vt reipsâ nihil aliud sit aqua, quam fumus densatus, & fumus nihil aliud,*

aliud, quàm aqua rarefacta. Ecquid ergo omnino est quod putas te primum animaduertisse? quodque proindè non memineris. (Vtcumque præ inuidia id dissimulas) te apud vnicum Gassendum legisse? Adnoto interim ex hoc agnoscere te eam, quam Gassendus impugnauit hypothesin eiusmodi esse, vt non aër præexistens intermisceatur, seu aëri, seu vapori recens creato, verùm absque illo, maiorem, quam aqua locum occupet, quando id neminem aduertisse ais; vt neque tu animaduertisses, nisi ex ipsa Textus Gassendi lectione factus cautior fuisses. Quam callidè porrò interim egisti, dum ne istud tibi falsò vsurpatum inuentum penitùs labefactaretur, præteruolasti, cætera inter, argumentum æolipilæ, quod Gassendus pag. 283. vrget? Nimirùm dum aqua intra illam ignis admoti calore rarescit, & vapor creatus vna cum aëre concluso, commixtoque, impetu tanto, & continenter, per foraminulum, osculum-ve exilissimum foras prosilit: dicere-ne potes internum æolipilæ *spatium, quod fuit locus aquæ, & aeris, remanere locum adæquatum aquæ, & aeris*; cùm tantum & aquæ, & aëris exeat, & subingredi tamen aër, qui rarefactis intus aquæ, & aëri commistus, relicta loca compleat, neque inania esse permittat, non possit. Referre hoc loco verba possem, quibus Gassendus rem vrget, & modum, quo talis rarefactio ex inanis intermistione creatur, declarat: sed indicasse locum sufficiat. Accedo potiùs ad alia, quæ ab eodem Gassendo habemus, vt manifestiùs constet, quàm vanè vaporis vocem affectans, & commistum illi aërem ad explicandum rarefactionem sufficere spernens. Docuit ille igitur nos, cùm materia pinguis, vt tantillum adipis, ceræ, olei, in flammam accenditur, attenuationem, rarefactionem-ve illius in flammam ita fieri, vt circumquaque aërem propellat, qui in se violenter eo modo, quo declarauit subingressus, flammam cohibeat-ne in orbem fundatur, ac sursùm, quò maior est libertas contendat: vnde & docuit generaliùs ignem non tam vi propria tendere sursùm, quàm quia aër ab ipso pressus, ipsum abigat, sursúmque propellat; idque adeò fecit perspicuum, vt nemo sit intelligens, qui (excepto te propter peruicaciam) in

eius sententiam non vltrò concedat. Quid interim dices ad creationem flammæ? Rarefactum in illam est tantillum pinguis materiæ: an id in vaporem euasit? Dices fortè non in vaporem quidem, sed in quidpiam analogum, videlicet exhalationem. At flamma longè aliud est, quàm simplex exhalatio; isti quippe sicut vapori potest aër intercipi; flamma autem aërem excludit. An contendes aërem quoque ipsi flammæ intercipi? Verùm & manifestum est occupare flammam locum aëris, ex quo illum depulerit; & illa repressio, abactioque flammæ esse aliundè quàm ex compresso, incommixtoque aëre non potest: & cum flamma ex puluere pyrio accenditur moxque extinguitur, quem strepitum edit, non aliundè est, quàm ex compresso aëre suum perniciter locum repetente. Hinc & cum puluis pyrius intra tormentum bellicum accenditur, dic amabo, quà aër subintret, vt flammæ excitatæ intra fistulam commisceatur? An per id foraminulum, cui fomes ignis-ve admotus? At flamma etiam per ipsum cum impetu exit. An per fistulæ orificium? at illeinc potiùs & à globo & à præeunte orbiculo propellitur, cùm & statim pone flamma insequatur. Aliundè verò dum ignis Græcus, flamma-ve illa vehemens intra aquam ardet; dices-ne illi quoque intermisceri aërem? dices fortè intermisceri aquam; at si aquæ ingressum in se præbeat, & nisi ipsam vt violenter, ita incessanter propellat; non-ne ab illa extinguetur? Verùm plura vrgere piget, cum vel indicasse ista pauca sit satis.

Quarta, inquis, *ratio est Gassendi pagina* 299. *quam censet eximiam, nempe, quòd si nullum sit inane in aere, vel aqua*, &c. Verùm recitare eam præstat ex ipso contextu, qui ad rationem superiorem sic immediatè attexitur. *Addo hinc præterea sequi, vt, cùm vase occupato ab aere, tot sint partes materiæ aeris, quot loci; neque enim vlla pars vasis inanis esse admittitur, & eodem occupato ab aqua (aut si vellis à plumbo) tot sint partes loci, quot materiæ aquæ; neque enim est vna minima particula aquæ, quæ in suo loculo distincto non sit; oporteat parteis materiæ aeris, & parteis materiæ aquæ esse inter se numero æquales, cùm quæ sunt vni tertio æqualia, æqualia etiam sint inter*

se. Quare & ex hoc fieri, vt aer tam sit densus, quàm aqua, quàm plumbum, quàm quidlibet aliud; & aqua, plumbum, quidlibet aliud tam sit rarum, quam ipse aer; ac vno verbo omnia quæ in mundo sunt, sint æquè rara, aut æquè densa; sicque nihil rarum densescere, nihil densum rarescere possit, aliáque id genus similia. Quo loco prætereo non hanc esse nouam Gassendo rationem, sed consequutionem dumtaxat siue corollarium ex antecedente. Sed esto (quia vis) noua & quarta ratio. Præmittis Gassendum eam *censere eximiam*. Maligne vir! & vbinam censet Gassendus esse eximiam? Retuli locum integrum; nihil, quod ad eam spectet omisi: digito nota vel vnum verbum, quo Gassendus illam commendet, quo esse eximiam non modo declaret, sed vel subnotet. Id tu fecisses, vanissime, iactabundissimeque mortalium! quod quia tibi probro verti sæpius & audis, & indignaris, inurere notam affectas viro omnium minime vano, modestiamque passim testanti, cùm talem notam eluere abs te non possit Thetis omnibus vndis. Putasti scilicet Lectores, id quod referendo dixisse quasi à Gassendo dictum accepturos, at iampridem perspectum est quæ & quanta sit publico impostori habenda fides.

Subiicis contextui: *Sed respondeo heic nullum videri absurdum præter Gassendi conclusionem, qua fieri non potest absurdior.* Itane? absurdissime, impudentissimeque virorum! videamus igitur qui euincas conclusionem fieri absurdiorem non posse. *Nam equidem*, inquis, *sequitur quod tot erunt partes materiæ aeris, quot partes materiæ aquæ; quia tam materia aeris, quam materia aquæ in tot partes diuidi potest, in quot diuidi potest vasis capacitas, siue locus.* Bene adhuc res habet, Morine, neque vel per te, ista saltem Gassendi consequutio, conclusio-ve absurda est. Memento interim quid concesseris. Pergis, *at quia partes materiæ aeris remanent partes materiæ aeris; & partes materiæ aquæ, partes materiæ aquæ; nec per illam diuisionem mentalem aer fit aqua, vel contra:* Intelligo, Morine, ac sentio, quàm anheles grauiter, quàm vbertim sudes vt dicere aliquid videaris. Quia enim peruidisti te non posse rationis vim effugere, ad artes tuas confugisti,

vt audacter nempe efferres nihil posse Gassendi conclusione fieri; absurdius ratus, si modò consequenter effutires aliquid, Lectores, tibi facile assensuros. Nunc tamen quia non defore emunctæ naris quosdam præsentis, conaris molimine magno quidpiam parturire, cuius causâ te non exsibilent; cùm nihil tamen aliud, quam miserè tautologizes. Verùm esto; cum istud tibi quasi antecedens causale sit; quodnàm illi consequens subdis? *Non sequitur*, pergis, *quod vel qualibet pars aeris sit æquè densa ac qualibet pars aquæ; vel totus aer æquè densus ac tota aqua.* Infœlix Morine! ecquid ages, si vt argumentum in forma ponas exigam, qui artis ratiocinandi es prorsus ignarus? vel, quia me tui miseret, probationem petam tuæ causalis consequutionis? Remanento enim partes materiæ aëris partes materiæ aëris? (vt tautologizem & battologizem tecum) & partes materiæ aquæ, partes materiæ aquæ? Sequitur hinc quidem, vt totus aër maneat aër, & tota aqua maneat aqua, ac rursùs, quòd tu antecedentis partem facis, vt aer non sit aqua, vel aqua non sit aer. At quia nihil posuisti in antecedente, vnde deduceretur vel maior, vel minor, vel æqualis densitas; quonam vinculo putas consequens cohærere posse cum antecedente? Non maiori certè quàm cùm dicitur, baculus est in angulo, ergo Erasistratus est stultus. Oportebat scilicet te sic antecedens perficere: *Quia partes materiæ aeris, remanent partes materiæ aeris, & partes materiæ aquæ remanent partes materiæ aquæ, ac totus proinde aer manet aer, & tota aqua manet aqua: neque totus aer tot habet materiæ partes, quot aqua habet materiæ partes*; Oportebat, inquam, antecedens sic perficere, vt subindè posses hoc attexere consequens, *non sequitur quòd vel qualibet pars aeris sit æquè densa, ac qualibet pars aquæ; vel totus aer æquè densus ac tota aqua*, quippè hoc solùm modo cohærere potest consequens cum antecedente, quatenus illud *æque densum* intelligitur, quod *tot habet materiæ partes*. Cum non feceris, quia mox antè concesseras aerem tot partes materiæ habere, quot aquam (vnde & admonui, vt meminisses, quid concederes.) Quid mirum! si hîc aliud nihil, quam scopas dissolutas habeas, & consequutionem eam texas;

quâ, quod ipſe obijcis, *fieri nequeat abſurdior*. Sed peruideamus cetera. Pergis, Morine ſic, *Hicque rurſus fit Sophiſma à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, hoc eſt à partibus materiæ aquæ, vel aeris, ad partes materiæ ſimpliciter, hoc eſt materia prima, vel incontractæ, ad eſſe aeris, vel aquæ, de qua dicit Gaſſendus pagina 298. Rarum definiri id, quod parum obtinens materiæ, multum loci occupat: ideóque Denſum id, quod multum habens materiæ, parum loci occupat; penes quas definitiones, cum aer ſit aqua rarior, omninò ſequitur quod ſi aer & aqua occupent ſua mole loca æqualia, aer longè minùs habeat materiæ primæ, quàm aqua.* Sunt hæc tua verba, Morine, an-non? Quàm quærerem lubens, ecquis Deus tibi mentem hîc eripuerit; niſi nuſpiam mentem in te agnouiſſem? Oſtendebam mox te incohærenter ratiocinari: Heic verò quid dicas, neſcius planè es; non ſentis te tibi contradicere; non agnoſcis te-met teipſum, iugulare; non vides quot verba, tot pene peccata. Hîc, inquis, *rurſus ſit Sophiſma à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter*, Nolo ego vitilitigare, cùm dixiſſe ſufficiat, nihil fuiſſe à te ſimile oſtenſum, vtcúnque objeceris Sophiſma à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid, quod commiſeris ipſe potiùs. Sophiſma eſſe dicis, quod à *partibus materiæ aquæ, vel aeris*, argumentum fiat, *ad partes materiæ ſimpliciter, hoc eſt materiæ primæ.* Miſer Morine! & vbinam in integra rationis ſerie verbulum, aut veſtigium eſt, ex quo colligi valeat argumentum procedere à materia aquæ vel aëris ad materiam primam? Monſtra illud ſi potes: primùm nihil neque de prima, neque de ſecunda materia concluditur; & ne nomen quidem materiæ in tota concluſione auditur; ſcilicet cùm fuerit dumtaxat materia (& æqualis quidem conceſſa in aëre & aqua) tanquam medium ad inferendum eſſe ergo aërem tam denſum, quàm aquam: Non igitur à materia ſecundum quid, ſeu aëris & aquæ, tranſitur ad materiam ſimpliciter ſeu primam! Secundò cum maioris explicationis gratiâ materiam primam eſſe eam dicis, quæ ſit *incontractâ ad eſſe aeris vel aquæ*, non aduertis te materiam Metaphyſicam pro phyſica accipere, & ex ente reali facere ens ratio-

nis; sed esto: Vbinàm in ratione tota, hoc est non modò in conclusione, sed in toto etiam antecedente de alia materia sermo est, quàm de contracta ad esse aëris vel aquæ? Tertiò cùm vt rem veluti excuses, dicis loquutum fuisse Gassendum de materia prima, siue incontracta, cùm definiit *Rarum id, quod parum obtinens materiæ, multum loci occupat*, ex quo sequitur vt illud sit *Densum, quòd multum habens materiæ parum loci occupat*, Id quidem alio loco & verè, & iuxta Aristotelem à Gassendo dicitur, neque contradicere ipse potes; sed, vt tale nihil hic dici prætercam, Quæso te hæc-nè materia, de qua in Rari, ac Densi definitionibus agitur materia est prima, atque incontracta? Et nonnè ad ipsum esse rari, atque densi contracta est? At, inquis, *incontracta est ad esse aëris, vel aquæ*: Per-acutè, Morinè, per-acutè subtilissimè? ô miser! Materia ergo rari ac densi est tibi prima materia? est materia simpliciter? Quid ergo materia incontracta ad esse rari & densi, vt quæ est secundarũ qualitatum generaliter; erit-nè illa primior? Sic enim iocando cum viro tam ridiculo liceat dicere. Quid materia qualitatis vniuersè? adhuc-nè primior? Quid materia substans generaliùs omnibus accidentibus? adhucnè primior? Quid materia omnibus substantiis, accidentibúsque communis, spectatáque adeò, tanquam destituta omni omninò tam substantiali, quam accidentali forma? erit-nè ista non simpliciter prima, sed etiam omnium primissima? Quartò, cùm nihil habeat partes, nisi per quantitatem, & quantitas sit materiæ seu primæ, seu primissimæ indiuidua proprietas; atque adeò quidquid habet materiam, & quantum sit, & partes habeat, nulla potest esse materia contracta, seu vt analogicè dicatur, secunda, quæ non tanta sit, & tot partes habeat, proùt secunda est, quàm proùt est prima, hoc est primæ, seu generalis aliqua portio: scilicet in Physicis rebus materia prima & secunda non duæ, sed vna materia sunt; & facta primę, secundęque distinctio consideratio est mera, seu opus rationis, quæ illi neque addit, neque adimit quidquam. Quid ergo te iuuat, ô miser! ista materiæ distinctio, ex qua obtinere nihil possis? Quid, quòd cùm esses quasi in procin-

ctu, vt quidpiam ab ea peteres, non ausus es tamen? Sperandum enim feceras, vt deduceres ac ostenderes aliam esse rationem materiæ primæ, & aliam materiæ secundæ: ac partes quidem primæ, seu incontractæ, præstare, vt corpora quæcunque veluti aër, aqua, plumbum, æqualibus locis contenta, æque rara, aut densa sint; at partes numero æquales materiæ secundæ seu contractæ præstare, vt ea corpora æqualibus locis contenta inæqualis sint raritatis aut densitatis (nempe hac de re agebatur, vt ostenderes ex eo, quod aër, aqua, plumbum æqualibus locis contenta concederentur à te habere materiæ partes numero æquales, non sequi vt ea essent æque rara, & densa, verùm raritatis, densitatísque inęqualis) & cùm prima fronte sperandum id faceres; repente te tamen quasi strangulasti, exterritus putà metu præcipitij, in quod attendisti te corruere. Quonàm ergo diuerteris? Ecce, inquis, cùm iuxtà illas definitiones *aer sit aqua rarior, omninò sequitur, quòd si aer & aqua occupent sua mole loca æqualia, aer longè minus habeat materiæ primæ, quam aqua.* ô æque & imprudes, & infœlix Morine! Non ergo animaduertis te dum Charybdim vitas, incidere in Scyllam? Cùm manifestum facias non habere te alias Rari, ac Densi definitiones, quàm à Gassendo traditas; fateri audes tamen non tot habere partes aërem, quot aquam in loco æquali? Et non-ne istud ipsum est, quod ante negasti, professus tot esse partes materiæ aëris, quot materiæ aquæ? At iam, inquies, dico materiam primam. Peracute rursus, Morine, per-acute, subtilissime? Et materia secunda quæ in aëre est, vnde accipit partes, quas adijciat partibus primæ? Nam raritas quidem, ob quam potest dici fieri materia secunda, nullas vel per te addit partes; hoc nimirùm est, quod dixisti forte animaduersum à nemine: & raritas certe nihil aliud est quàm quædam conditio, siue vt loquuntur, modus existendi materiæ, qui eius quidem partes dilatet, seu in vlteriorem locum explicet; at nullas nihilominus neque adimat, neque addat. Vnde-nam igitur habebit materia secunda plures partes, quàm prima? Calcitras nihilominus: quippe *nec propterea consequetur*, inquis, *quod in aere dentur*

spatiola inania. Hoc non est, quod iam quæritur, Morine, inane, vt aiunt, in terminis? Quæritur quamobrem cùm admiseris tot esse in aere, quot in aqua materiæ partes, non tamen sit aër tam densus, quàm aqua? Ostende cur ita non sit, *quoniam*, pergis, *aer sua consistentia rara, hoc est dilatata, seu non discontinua aquè replet suum locum, vt aqua sua consistentia densa siue constricta*. Hoc, Morine, ipsa est quæstio, & neque tu probas quomodo aëris consistentia non sit (vt tecum loquar) discontinua, seu interceptis spatiolis in anibus varie interrupta: neque euincis aërem æque replere sua consistentia, hoc est (ne elabaris ambiguo) æquali partium numero, ac suum replet aqua suâ consistentiâ, hoc est numero partium non maiore. Quæ sane cùm ita se habeant, quis nisi tuam proteruiam, impudentiámque notam haberet, non miraretur te pene extritum sic exsurgere, *Nec Epicureis possibile est probare contrarium cum suis Paralogismis & sophismatibus*. Sed si Deo placet, Morine, si Deo placet. *Ad qua declinanda* (nimirum Sophismata) pergis, *sciendum est Responsionem nostram intelligi de aere propriè dicto, non de vapore aqua facto, qui aeri permiscetur vt diximus in responsione ad rationem tertiam*. Scilicet Morine, vsurpatus est vapor aëri permistus in ratione quarta? Vbinàm verò? *Idque fatetur*, subdis, *Gassendus pagina 333. dicens, ex aqua fumus fit, dum secretis eius particulis aer intercipitur; & ex fumo aqua, dum coeuntibus eius particulis aer excluditur*. Et tu ergo fateris Morine hoc te apud Gassendum legisse? Quàm igitur iure ad rationem tertiam causabar tuum plagium?

Hisce subijcis speciale hoc caput. *Verùm Gassendus circa naturam aeris perpetuò titubauit ab eo tempore, quo Telluris motum credidit, nec quid sit aer definire potuit: nam in ratione tertia dicit aquam verti in aërem, & aërem in aquam; vbi aerem à vapore non distinguit. Et pagina 1074. inquit, aer, si distinguitur à vaporibus, non est in aquā transmutabilis pagina 434. asserit, quod aer nihil aliud esse videtur, quàm textura quadam habituum, seu corpusculorum ex terra & aqua prodeuntium, & circa hunc globum lanuginis instar consistentium. At pagina 816. de ipso iterum dubitat, asserens; siue enim aër sit speciale*

corpus

corpus, siue nihil aliud, quàm vaporum corpusculorum-vè ex terra & aqua continenter exhalatorum contextura, &c. Ecce quomodo sibi constat tantus Philosophus in sua doctrina Epicurea, quam nihil mirum est ab ipso defendi, non rationibus legitimis, sed dumtaxat paralogismis & sophismatibus. Quàm verum est illud, Simia semper Simia! citiùs enim Æthiops lauando dealbetur, quàm tu quovis Æthiope nigrior, scribendo aliquid candoris, mentis-vè ingenuæ ac bonæ testeris. Mirum, vt te semper tuæ agitent Furiæ: vt læsam atque deprauatam imaginationem tuam sic infestent, vt ea quæ te angunt, minima occasione currant, & recurrant. Non hîc agitur quid Gassendus credat de Telluris quiete, vel motu: Ille suam mentem satis exposuit, & circa ipsam est iam ante responsum. Illud te angit, quòd cùm Gassendus ostenderit earum rationum, quibus solet quies terræ probari, infirmitatem; & tu, quod non feres post tuum famosum Problema solutum, quemquam ea de re hiscere, librum aduersus illum, qui te non cogitârat scripsisses, persentias adhûc stimulos, quibus Apologia eius te confixit; vnde & tibi excirari reminiscentia facti non potest (vti hoccè loco occasione vaporis ex aqua creati) quin instar canis lapidem, qui liuidum te totum fecit, commordeas, & in proiectorem longè à latratu tuo consistenrem rictum explices, dentesque impotenter ostentes. Verùm, quia non noua est tua impostura, & iam dictum est quomodo ringaris, quod ille vt mentiaris, faciat dùm falsò affingis, quod frustra contendis extorquere, vt profiteatur, quodque toto auro, vt profiteretur redimeres. Quia, inquam, hoc loco circa illam tuam imposturam immorandum non est; attendo dumtaxat ad malignam mentem, quam, quod superest, tam perspicuè prodis. *Gassendus*, inquis, *perpetuò circa aëris naturam titubauit: nec quid aër sit, definire potuit.* Locus hic esset exaggerandi summam viri moderationem, qui tot rerum sciens, profiteatur tamen passim se nescire; & quidquid videtur in rebus naturalibus affirmare, testetur nihilominus se id non habere ratum, ac indubium, sed verisimile dumtaxat; secùs profectò ac tu, Morine, qui ea temeritate es, vt cum nihil reipsà scias, scire te

tamen omnia insolenter ebuccines, & quasi ex tripode pronuncies. Locus inquam, foret id exaggerandi ad ostendendum licet Gassendus fuisset titubando de natura aëris loquutus, nihil tamen non dignissimum sapiente viro, cum præstitisse, cuius est nihil ita certò, constantérque defendere, vt non maiori verisimilitudini cum occurrerit, locus detur. Verùm, vt ostendam quam frustrâ illius scripta peruolutâris, vt reperires, quod carperes: Ecce paginâ illâ 434. *quid esset aër, definire potuit*, cùm non *asseruit* quidem, vt tu ais (& vt tu ipse faceres, qui nihil non asseueranter profers) sed dixit modestissime, quid sibi esse videretur: probans scilicet aërem videri *suapte natura grauem*; *Nimirum*, inquit, *cum aliud nihil esse videatur, quàm textura quædam habituum seu corpusculorum ex terra & aqua prodeuntium, ac prout crassiora, aut subtiliora sunt, propiùs aut remotiùs emergentium, & nihilominùs vix ad pauca milliaria enitentium; adeò vt circa hunc solidiorem globum lanuginis instar consistant, & quam appellare iam solent Atmosphæram seu vapidum, vaporum-ve orbem constituant; eam ob causam videtur, natura terrena cum sit, ab vsque supremo Atmosphæræ ambitu ipsam versus terram conniti; adeò vt omnes eius partes pro suo quæque modulo grauitate sua præditæ censeantur, seu ea sit, vt vulgò putatur qualitas quædam insita, seu, vt videtur verosimilius, ipsa terræ attractio sit, qua versus terram illiciuntur, seséque inuicem versus terram premunt; vnde & massa tota aëris sit grauis.* Hæc igitur ille eo loco habuit, ex quibus, quid esset aër definiret; túque vel referens eum locum apertè mentiris, cùm definire eum non potuisse quid esset aër, asseris. *At titubauit.* Quomodo vero? quia dixit in ratione tertia *aquam verti in aerem & aerem in aquam*: Prætereo illum ibi loquutum ex vulgari hypothesi; sed loquutus esto ex sua; quid dixit, quod loco priori repugnet? cum velit enim aërem constare ex halitibus, corpusculis-vè prodeuntibus non modò ex terra, sed etiam ex aqua; & opinetur corpuscula aquea naturam aquæ semper tueri; adeò vt quoties adunantur, in aqueam molem coëant; Non-ne est cohærenter loquutus, cùm dixit *aquam verti in aerem*, hoc est tenuari in halitum, corpuscula-ve

vapida corpus aëris ex parte constituentia; aut *aerem verti in aquam*, hoc est talia corpuscula vapidós-ve halitus coalescere, condensaríque in corpus, quod dicitur aqua? Pergis velle eum titubasse, cùm pagina 1074. dixit *aerem, quatenùs esse ipsum volunt distinctum à vaporibus* (vides vt aërem assumat, quatenùs est aliquid distinctum à vaporibus, ex aliena sententia) *non esse in aquam transmutabilem*. Quomodo verò non est adhûc cohærentissimè loquutus? cum putet ex toto corpore, qui dicitur aër, nihil posse aliud verti, concrescere-ve in aquam, quàm vapores halitus-ve vapidos, seu memorata corpuscula, quæ ex aqua prodierint? Et vide, quia illic de origine fontium agens, vnam causam facit condensationem vaporum in cryptis subterraneis, sicque declarat quî saluari opinio Aristotelis possit, vt locus se integrè habeat. *Non est aer quidem quatenùs esse ipsum volunt aliquid distinctum à vaporibus, in aquam transmutabilis, vt ex supra dictis intelligitur; sed vapores tamen calore ex subterraneis aquis creati, & per aërem subterraneum fusi, ipsumque, vt sic dicam corporantes, incrassantésque, condensari perindè possunt, & in guttas, fluidámque aquam iteratò concrescere in cryptis subterraneis, ac concrescit vapidus fumus intra alambicum, aut intra lebetem operculo obductum. At iterum dubitat, seu titubat*, inquis, asserens pagina 816. *siue aer sit speciale corpus, siue nihil aliud, quàm vaporum, corpusculorum-ve ex terra & aqua continenter exhalatorum contextura*, &c. Prætereo quàm ineptè dicas, *asserere* eum id, de quo *dubitare* ipsum dicis; neque enim hæret in verbis, quorum vim nullo modo tenes: adnoto solùm, quàm insulsè, malignéque simùl ex eo loco arguas; cum illic nihil aliud, quàm Copernici opinionem explicet, & quia ille *moueri globum terræ dixerat cum incumbentibus elementis*, declaret illum intellexisse non modò elementum aquæ, verùm etiam aëris, vt qui moueri simùl possit tam iuxtà receptam de aëre sententiam (quod sit nimirum speciale corpus à memoratis halitibus, corpusculis-ve distinctum) quàm secundum propriam (quod videlicet nihil sit aliud, quam vaporum, &c.) de qua est iam dictum. Prætereo enim ad verba citata accedere hæc: *Illius*

certè altitudo vix paucorum milliarium est, atque adeò non amplius, quàm lanuginis instar ad terræ totius molem comparata. Scilicet id dixit, vt intelligatur posse aërem conuolui cum terra, vt cum malo persico, cotoneo-ve eius lanugo. Constat ergo ex his, quàm maligna mente in scripta Gassendi inquiras, dum tam operosè loca colligis, ex quibus illum reprehendas; cum tamen nodum in scirpo quæras, & contentione tam operosâ nihil prorsus aliud, quàm ventum pugno comprehendas. Nihil stupendum verò est; quia merus cauillator cùm sis, non veritatem ipsam requiris, sed si quà possis liuorem tuum, tuam maleuolentiam testari. hinc & dum concludis, *Eccè quomodo*, &c. Iudicent Lectores, quàm impatienti, quamque rabiosa exedaris inuidia, quam is sis, qui nihil bonæ frugis ex te, proferre cùm valeas, in optimos quosque, vt vespa inuoles, & optima quæque ausus carpere, nihil tamen aliud, quàm sophismata, & paralogismos eructes; & citra procacitatem petulantissimam, improbissimámque proferre, vel vomere potius nihil possis.

Accedo postremò ad experimentum, cuius occasione te tam impotenter inuidum, & malignum geris. Locum ex Gassendo totum refero, quandò tu sub finem ipsum callidè detruncasti, vt verba aliunde detorta loco non suo attexeres. Ille ergo post expositum de Aeolipila ratiocinium, pagina 174. sic habet. *Quamquam sum iam nimius, addendum est tamen experimentum singulare, quo visus sum mihi deprehendere interspersa huiusmodi spatiola inania intra aquam dari. Nôram pridem non posse aquam quantitatem salis quamtamlibet exsoluere, ac in se transfusam veluti concipere, sed ad certam solùm mensuram; adeò vt satiata, quidquid superest, inexsolutum relinquat. Id cum demirarer, & causam tacitus perpenderem, nihil aliud subijt cogitare, nisi quod abeunte sale in particulas minutissimas, deberent esse intra aquam consimilia spatiola ipsis excipiendis capacia, quibus repletis, exsolutio, conceptioque illa cessaret; eo modo, quo stomachus plenus super iniectum cibum eructat, aut vasa liquore oppleta superinfusum non admittunt. Verùm, aiebam, cùm sint salis corpuscula cubica (id nempe aliundè pernôram) poterunt ea quidem replere*

spatiola, quæ & ipsa cubica fuerint; at cùm non modò commune sal, sed alumen etiam, quod est octahedricum, halinitrum item, & sal ammoniacum, saccarúmque & alia, quæ aliarum sunt figurarum, eadem aquâ exsolui possint, erunt ergo etiam in aqua spatiola octahedrica, atque id genus alia; adeò vt aqua, tametsi sale saturata fuerit, nihilominùs & alumen, & cætera omnia exsoluere possit, ac in sese transfundere. Itaque experiundi gratiâ alumen conieci in aquam per complureis dies sale impragnatam; ac tum non sine quodam stupore succedere coniecturam vidi; scilicet alumen perinde, ac si aqua sale caruisset, exsolutum fuit. Neque id modò; sed & consequenter alios præterea sales exsoluit; & vt paucis dicam, ostendit quam varia, insensibilia licet, loculamenta contineret. Qua ratione etiam intellexi cur aqua satietur tincturis, vt appellant, rerum, veluti Sena, Rhabarbari, aliorum, quæ per infusionem, vt vocant, solent exprimi; & quamobrem non ita illam capiat vnius satietas, quin ad aliam adhûc idonea remaneat. Tu à verbis illis, *qua ratione etiam intellexi*, &c. Supprimens, ne pulcherrima, & nemini, nisi tibi hominum liuentissimo, placitura consequutio legeretur; vno tenore, ac sine periodi distinctione hæc substituisti: *Vnde vno verbo constare potest abhorrere quidem naturam ab inani aliquo magno; at non abhorrere ab inanibus spatiolis insensibilibus. Huc vsque Gassendus.* Nempè cùm illeic non quęreretur, natura-ne ab aliquo magno inani abhorreret, caudam hanc assuisti, vt si quà posses, Gassendum exhiberes quasi ineptum pictorem cui

turpiter atrum.
Desinit in piscem mulier formosa supernè.

Hoc verò vt iam mittam, locum relaturus sic præfatus es. *Maximus Gassendus supradictis rationibus fortaßis minimè contentus, tandem prouocat ad experimentum singulare, velut ad lapidem Lydium, cuilibet etiam rationi præferendum.* Scilicet narratio hæc potuit videri illic, loci superflua, vt deberet Gassendus esse *rationibus supradictis contentus?* Scilicet *rationes supradictæ* omnes memoratæ anteriùs fuerant, quas tu potiùs hîncindè ex variis locis, cùm variis occasionibus prolatæ forent, corrogasti? Scilicet Gassendus *prouocauit*,

& non potiùs simpliciter quid contigisset sibi narrauit? Scilicet dixit, aut voluit esse suum experimentum, *veluti lydium lapidem*? Scilicet aut dixit, aut innuit, aut censuit, esse experimentum, hoc *cuilibet etiam rationi præferendum?* Sed Rhetoricator malignè, ineptéque, ista prætereo, vt inuidiam tuam malignissimam ex iis, quæ subiungis, declarem.

Sed respondeo, inquis, *primo Gassendum hic suo more gloriari de aliorum inuentis, & experimentis, vt in tota ferè patebit sua Physica Epicurea. Quod enim eadem aqua certam dumtaxat mensuram salis exsoluat, deindéque certam mensuram aluminis, sacchari, &c. simul cum sale, idemque præstet in extrahendis diuersarum herbarum tincturis, & viribus: res est Chymicis & Pharmacopolis à longo tempore adeò vulgaris, vt stupendum sit de Gassendi stupore circa ipsam, quasi solus fuisset peregrinus Parisiis, qui hanc ignorasset, etiam in sua senectute, post suam Parisiis multorum annorum moram.* Quibus ex verbis, quasi ex spuma efferato ore commansa quanta intus rabie exardescas, nemo est, qui non colligat. Etenim cæca passio, maleuolentiáque effrænis, ita omnem in te rationem absorpsit, vt malignitatis venenum, quo turges, admotâ inuidiæ, liuorisque sanie, quasi aquâ respersa fornax, in eam flammam excesserit, quæ donec interanea tua incessante depastione consumpserit, teque in fauillam redegerit, extingui nullatenùs possit. Incipis *Gassendum suo more gloriari*; Quàm verò illum, impudens Thraso, metiris tuo modulo? Tametsi Thrasonem quid dico? Morinum dicere sat est, Lippis enim, tonsoribúsque notum perspectúmque iam est, mortalium neminem gloriantiorem, iactantiorémque Morino esse; adeò vt petulans, insolénsque, & importuna quæque iactatio non iam *Thrasonismus*, sed *Morinismus* vocitetur. *Suo more gloriari?* & vbinam potes, impudentissime virorum, ostendere illum vel semel gloriatum? tantum abest vt res versa illi in morem fuerit, quo nemo vnquam de se modestiùs & maiore cum pudore sensit. *Gloriari de aliorum inuentis & experimentis?* Vbinam, maligne? vel vnicum cita. *In tota ferè sua Philosophia Epicurea?* Iterùm, maligne, vel vnicũ cita.

Qui dicebat se exercitum vidisse, eò adactus vt stipitem solùm se vidisse confiteretur, viderat saltem aliquid: tu eò adigeris, vt nihil te præter malitiæ tuæ vmbram præeuntem vidisse fatearis. *Quòd enim aqua certam dumtaxat mensuram salis exsoluat, &c. res est Chymicis & Pharmacopolis à longo tempore vulgaris?* Heic iam imploro Lectorum fidem, si possit vlla malignitas, inuidiaque esse peruersior! Non dixit Gassendus se primum fuisse expertum aquam sal exsoluere ad certam dumtaxàt mensuram; Dixit se id *pridem nosse*, scilicet penè à puero, id edocto primùm non à Chymicis, & Pharmacopolis, sed à suæ regionis mulierculis, dum vellent salsâ aquâ oliuas, aliáque id genus condire. Sed neque illi quæstio de hoc experimento fuit. Quæstio fuit de causa, rationéque experimenti, cui excogitandæ idcircô incubuit, & suspicatus peti eam posse ex primariorum corpusculorum, ex quibus sal contexitur figuris (de quibus est locus iam ante relatus) & ex spatiolis inanibus ipsis correspondentibus, id explorare, quemadmodum est ab eo deductum, tentauit. Ecce autem malignus vir, quasi quæstio foret dumtaxat, an aqua sal ad certam dumtaxat mensuram exsoluat, insulsè subindè declamat; interim autem id præterit, de quo reipsâ quæstio erat. Nimirùm, quia ipse, rerum bonarum ignorantissimus, & futilibus solùm suis hariolationibus intentus, ne vnius quidem vel minimi effectus naturalis causam possit dicere, insanâ tenetur, stringitúrque inuidiâ, quòd rem tentari ab aliis cum aliquo successu videat; ac ab eo præsertim, in quem immerentem, & sine causa, ac solo genio malo impulsus, odium impotens, implacabiléque concepit. Dic proindè, homo malignissime, de cuius-nam experimento, inuentó-ve est Gassendus gloriatus; cùm & subodoratus est, & explorauit, & reddidit causam, quamobrem aqua exsoluat sal ad certam dumtaxat mensuram? Est-ne in te, vt nomines quemquam, cui ante illum venerit in mentem, aut facti causam explorare, aut esse talem dicere? Quid ergo tam mala es fide, tam iniqua mente, tam prauâ conscientiâ, vt rem, cuius saltem conatus laudabilis est, tam peruersè detorqueas? Nôrunt Chymici & Pharmaco-

polæ saturati aquam, vt sale communi, sic alumine, & tinctura Senæ, Rabarbari, & aliorum. At cùm Gassendus, quin nôrint, non neget: cùm non glorietur se id primùm, ac antè illos fuisse expertum: quid hoc tamen exaggeras, ac illud interim præteris, quod factorum à Chymicis, Pharmacopolisque experimentorum, causam, atque rationem reddit, de qua illi siue quærenda, siue inuenienda, ne cogitarant quidem? Quid quod petnôrunt illi quidem saturationes seorsim fieri; at datâ operâ explorare num post vnius rei satietatem, aqua alia tum adhuc sit famelica; & famelicam reperire, & famis causam inquirere; & figuras salium primigenias explorare, conijcereque; & commensurata illis loca intra aquam subodorari, & re exploratâ, successum habere coniectationi respondentem, cui præter Gassendum illud contigit; vt dicas proindè esse rem à longo tempore vulgarem? Et stupendum dicis *Gassendi stuporem*? Scilicet verendum non est ne tu aliquandò similiter stupeas, qui incredibili præsumptione, ac temeritate ratus te nosse omnia (cum reuerâ tamen nihil præter nugas noueris) nihil non modò stupeas, sed nè similiter quidem admireris; vnde & de nulla re dubitas; neque proinde causam germanam rei alicuius inquiris. *Quasi solus fuisset peregrinus Parisiis, qui hanc ignorasset etiam in senectute post suam Parisiis multorum annorum moram.* Lepidam hanc tuam cantilenam, Rhetoricamque repeto; vt nemo non agnoscat tuam petulantissimam petulantiam. Non ignorauit ille, ne in iuuentute quidem (quando & dixit *pridem*) quod tu insolenter causaris. Causam explorauit, detexitque seriùs; at cùm fateatur se plurimùm & inclytæ vrbi, & magnis, eruditisque, qui in ea florent viris debere; talem tamen explorationem, detectionémque à se factam in almam Vrbem intulit; nouique ipse testes, qui illum iamdudum in Prouincia explorantem viderint, & post facta tentamina successúmque pro voto obtentum, edisserentem audierint. Quod subnotas autem de eius senectute, quam tu illi tantoperè, cumulatior licet annis, inuides (Mentitus es quippe illum non visurum annum ætatis sexagesimum, quem hoc tamen circiter tempus exorditur fœliciter)

citer) subnoto & ego, vt ea de re dicam posteà.

Respondeo, inquis, secundò: *Quod si vera sint, quæ Gassendus asserit, oportet necessariò quòd aqua post dissolutionem salis, aluminis, sacchari, &c. eundem tantum occupet in vase locum, quem occupabat simplex aqua ante dissolutionem salium; quia scilicet replentur tantùm inania spatiola aquæ, cuius idcircô moles apparens per hoc nec debet, nec potest excrescere? Atqui experientiâ certissimâ & euidentissimâ à me factâ* (Morinismus) *probatur contrarium: quodque apparens moles aquæ tantundem excrescit, quanta est moles salium dissolutorum.* Subijcis schema phialæ, in cuius collo tria hæc excrementa delineas, apponísque hæc verba; *falsissima igitur est conclusio, quam Gassendus pro euidenti inanis demonstratione deducit ex illo experimento, quod nunquam ab eo factum, & attentâ mente obseruatum fuisse credo.* Impudens Morine! igitur illam conclusionem, quasi caudam ipse assuisti, & veri textus loco supposuisti, vt hanc deinde consueres? Igitur Gassendus rem expertus non est, ipse qui nunquam de experiundo, nisi fax ab alio preferatur, cogitas, attentiore mente, quàm ille obseruasti? *Atqui*, inquis, *experientia certissima & euidentissima à me facta probatur molem aquæ tantumdem excrescere.* Quam iure inter referendum Morinismum hîc esse subnotaui! Quippe non tu solus post ipsum rem expertus es, experti sumus ipsi quoque, & experientiâ quidem non minùs certâ, atque euidente, quàm tu; at longè abfuimus, vt deprehenderemus excrescere molem aquæ *tantumdem.* Tu verò, qui nihil non exactissimum, atque perfectissimum præstas; quonam pede, ac modulo dimensus es molem exsoluti salis, vt deinceps molem aquæ *tantumdem* excreuisse asseuerares? Oportet nempè, vt dimensus exquisitè (ne exquisitissimè dicam) fueris singulorum salis granorum superficiem, habitâ ratione facierum, atque angulorum, quotquot in iis fuerunt, vt ambitu cuiusque cognito de illius profunditate, siue corpulentia, ac interna mole ratiocinareris. Quippe nisi cuiusque molem sigillatim, exquisitéque præcognitam habueris, non potes omnium simul moles in vnam summam collegisse, quæ comparata cum mole aquæ, eius incrementum

notum faceret. Neque verò hoc modo; sed & oportet pari ratione dimensum te exquisitè fuisse molem granorum omnium superstitis inexsoluti, & ex aqua educti salis, vt quantum deducendum foret, ex priore mole innotesceret. Tu verò id præstitisti, Morine? Tu is es, cui venire in mentem hæc difficultas potuerit? Iura quantùm voles, ac Morinismos etiam centum adhibe: credat Iudæus appella, non ego. At, inquies, nisi aquæ moles tandumdem excrescat, saltem aliquid, vel per te excrescit? Verum est, Morine, aliquid excrescit. At nihil omninò excrescere debet, cùm sal recipiatur dumtaxat in spatiolis inanibus? ô Morine! Et quando tu copiosè prandes, non debet tibi abdominis moles aliquantùm excrescere, neque apparere tumentior, quòd totum cibum, atque potum in stomachum inanem, ieiunúmque iniicias? Et cur non sicuti membranæ stomachi & abdominis diducuntur dilatantúrque, efficiúntque, vt circumscriptio abdominis totius amplietur, tametsi non tantùm, quantùm si iniecta esculenta, potulentaque colligerentur, ventríque exteriùs adunarentur; cur non, inquam, aliquid possit consimile contingere, dùm minimula corpuscula salis in aquam coniecti, in suos illos stomachulos, quasi, recipiuntur; vt dum nempè in illis se accommodant, ipsæ spatiolorum superficieculæ non-nihil diducantur, atque dilatentur. Vnde & totius aquæ moles, siue circumscriptio tametsi non tantùm, quantùm si salis totius moles adhiberetur extrinsecùs. Hoc paucis dico, quod pluribus mihi edisserentem optimum virum memini, cum illi ipsam eandem proposuissem difficultatem. Tu verò, Morine, qui hæc reprehendis, qui nihil, quod non sit tuum probas: Age, si hæc ratio Gassendi non valet; rationem, causam-ve nobis dicito, ob quam non exsoluat sal, nisi ad certam vsque mensuram; ac potissimùm cùm post exsolutionem, deductísque sordibus, tam clara, támque limpida, quàm ante exsolutionem appareat? Ob quam rursùs causam, eadem aqua vno sale saturata, ita vt illius nihil ampliùs possit capere, capiat tamen, siue exsoluat ex alumine, quantum salis? Est-ne vt speremus abs te quampiam huius rei rationem, vel causam?

Certè aquam potiùs hauriamus ex pumice; adeò rerum omnium bonarum sterilis,atque siccus est: adeò es solùm pumicis instar tum anfractuosus, seu cauillatorius, tum asper seu maledicus,& mordacitate tua impetens quidquid vides aliis gloriam parere,quasi quantum accędit aliis,tantumdem tibi detrahatur;qui Morinus es,seu Thraso, miles-ue gloriosus.

Subiicis: *Omitto eius exemplum de aceruo tritici toties assumptum ad probandum inane corporibus interspersum, quòd inter grana tritici dentur spatiola vacua.* Ne omitte tamen Morine, ne omitte, sed perge. *Tum quia*, pergis, *si granis sunt vacua, non tamen dicet Gassendus illa esse prorsus inania, sed aëre plena.* Scilicet Gassendus id satis non dixit, ac non sæpe etiam datá operâ dixit *granis vacua*, tum vt pateret analogia, cùm aërea spatiola aëris vacua dicerentur; tum vt cauillis præcideretur ansa, quæ præcidi tamen tibi cauillatori cauillantissimo non potuit. *Tum quia* pergis adhùc *grana tritici sunt corpora non-nihil rotunda, inter se diuisa, sibique tantum contigua, ipso iudice sensu: at de aëris & aquæ particulis quis idem probabit vel sensu, vel euidente ratione?* ô acutiem viri admirabilem! qui peruidit tritici aceruum non esse continuum, *quia grana sunt corpora non nihil rotunda* (nempe quia si aceruus foret cuborum, aut pyramidum, timendum foret, ne esset continuum) itemque *inter se diuisa, ac tantùm contigua*? Dic igitur nobis, Morine, quia es tam acutus, ac rationem tamen euidentem petis; Cur aër, vel aqua, quæ sunt ad sensum adeò continua, sint reuera tamen ex contiguis solum? Rides? Dic, igitur, Morine, qui fit vt manum ducere possis per aceruum tritici? An-non quia singula grana inter se dissociata sunt, ac ideò mutuò emoueri, cederéque manui prætereunti possunt. Etenim, si totus aceruus esset vnum granum, siue mauis corpus consistentiâ suâ grano simile: Posses-ne perindè præterducere manum? Dices, opinor, fore, vt non posses. Quare autem non posses, Morine? An-non quia partes talis grani non essent ampliùs dissociatæ, sed mutuò reuinctæ, siue, vt tu es dicturus, continuæ? Et cum igitur manum tuam per aërem tam facile ducis, qua alia ratione id facis, quàm quia particulæ aëris minutissimę,

corpuſcula ſunt inter ſe mutuò diſſociata, emobilia, facilé-que cedentia? Si enim tales particulæ inuicem reuinctæ ſeu continuæ forent, quid eſſet, quamobrem cederent manui præteruadenti? Et cùm manum etiam præter aquam ſat facilè ducas; cur id, niſi ob eandem rationem? Sanè enim ſi particulæ aquæ ita reuinciantur, vt continuum fiat, quale glacies eſt, longè profectò aberis, vt interducere manum poſſis. Sed nempe tu ad hæc nunquam attendiſti; neque, vt attendas, capere es potis; cùm & pari ratione habeas vaporem, fumúmque à corpuſculis aëreis, interruptis ipſis, variè interruptum, quaſi continuum aliquid; ac ſimiliter nebulam, nubémque, quam procul tam denſam, tamque continuam arbitraris; non valens magis capere diſtinctionem, & ad ſummum contiguitatem granulorum ex quibus iſta componuntur, quam diſtinctionem & ad ſummum contiguitatem granulorum pulueris, ex quibus contexitur puluerea nebula, quam excitat ventus. Verùm ad tua grana triticea vt redeam, vnicum granum conſideremus. Putaſ-tu illud eſſe continuum? At farina ſaltem, quæ intus continetur, ex contiguis ſolum conſtat granulis, quæ exterendo diſſociata, perindè apparent, ac aceruus tritici: Cortex autem membrana eſt tota ex filamentis contiguis, ſed variè tamen implexis conſtans. Quid ergo, inquis, ipſæ membranæ etiam animalium continuæ non ſunt? Non magis, Morine, quam tela quam tu habes continuam, quæque ex filis tamen contiguis ſolummodo conſtat? At ſaltem fibræ membranarum, ſaltem nerui, arteriæ, venæ, & ſi quæ ſint partes conſimiles, continuæ ſunt? Non magis tamen, Morine, quàm fila quæ ipſa ex minoribus filis, & iſta ex aliis, aliiſque minoribus, donec ad minimas perueniatur, conſtant. Sed tu ad hæc rurſus nunquam attendiſti; qui etiamnum habes non tenue modo filum, ſed rudentem etiam, vt continuum quid; cum ſi adeas chordifices, deprehenſurus ſis ex quam-multis, quamque breuibus vt membranulis ita filis, chordas præ-longas, denſaſque conficiant. Redeo ad grana iterùm; Putas-tu panem ex granis contritis eſſe quidpiam continuum? & ille tamen conſtat ſolùm ex farinę

particulis, quas particulæ aquæ intercipiunt, & neque tamen aut cum iis continuantur, aut ipsas inter se continuant, sed reuinciunt solum; nisi cum duo asseres copulantur glutine, existimes corpus continuum ex tribus fieri corporibus. Idem dicerem de calce, aut gypso, quo tuus paries illitus est; idem de papyro quam alioquin mundam tua scriptione commaculas; idemque de aliis sexcentis. Sed ne ad tam subtilia, quæ nunquam attendisti, te prouocem; Nuda solum caput, & galerum tum præ manibus habe, & considera? Iurares illud esse continuum? Et certo tamen certius est constare id solum ex pilis, implexis quidem, sed solum tamen inter se inuicem contiguis. Quamquam quid est cur hęc aut alia æque familiaria, quotidianáque congeram: cum id sit surdo canere, & spectaculum cœco exhibere?

Concludis: *maneat igitur certum, quòd hypothesis vacui, vel inanis in vniuerso & corporibus concretis, est etiam inane figmentum* Maneat igitur ô Morine Morinissime, maneat certum nihil esse Morinius, hoc est inanius tuo capite, in quo solo cerebri vacuo dictum est iamante stabulari inania figmenta, & bombinantes chimæras indesinenter volitare.

DE DISSERTATIONE, QVOD *Atomi Epicuri non sint principia rerum.*

HActenùs fuit, mi amice, venter, seu pars media ridiculi Muris. Pars postica insequitur, hoc est id membrum Dissertationis, quo probare Morinus voluit, *non esse Atomos Epicuri principia rerum.* Non erit verò cur tàm hîc sim, quam circa cœtera prolixus; quoniam in hac parte nihil ferè aliud, quàm eædem nugæ, quæ deductæ sunt in superioribus, repetuntur. Quin-etiam labori parcere potuissem si ille promissis stetisset, aut persuasus certè fuisset, quod præmiserat ab hoc Morinismo exorsus; *Postquàm superiùs clare ostensum est Atomorum & inanis hypotheses vanas esse; superfluum videtur vlteriùs discutere, an ipsæ sint Principia rerum*

& quomodo: si persuasus, inquam, huiuscemodi discussionem esse superfluam, abstinendum ab ea censuisset; sed quia mentiri solitus, vnum putà dicens, aliud cogitans, ab illa non abstinuit, subest quamobrem ego hanc quoque eius discussionem excutiam.

Primo porrò loco insectatur illud, quod Gassendus habet pagina 183. his verbis, quæ ille truncauit: *Vtcunque Atomi, & inane aliquo sensu dici possint Principia seu Elementa vniuersi, quòd paullò antè attigimus, non idcircò tamen sunt ambo principia, siue elementa rerum generabilium. Solæ Atomi huiusmodi sunt: inane verò solum locum, discriminationemque ministrat. Et sanè cùm sit incorporeum, non-ne prorsus incapax est, ex quo corpora componantur? Tametsi enim corporibus intermistum esse probetur; non idcirco tamen pars illorum est, vt neque vulgo censetur aër, qui nobis intra nareis, os, arteriam, aut pulmonem adest. Et inane quidem tantò minùs, vel ex eo, quòd nullo modo rebus inhæret, neque transferri cum ipsis potest: sed illis locum mutantibus aliud, aliudque semper occurrit, vt declaratum iam ante est. Heinc est, cur neque Epicurus in totis fragmentis superstitibus, neque Lucretius opere toto, cùm sæpiùs asseuerent contexi omnia ex Atomis, dixerint tamen vnquam ex inane contexi.*

Quid ad hæc vitiligator? Nempe nihil aliud, quàm tacitè indignatur se non reperisse in Gassendi textu, quod sperauerat, quódque se inuincibiliter refutaturum confiderat; vt nempe omnia ex Atomis, & Inani componerentur, eo modo, quo parietes ex lapidibus, ac cæmento. Delusum autem videns se, nè nodum, quod ante dicebam, non videretur quærere in scirpo, hæret circa prima illa verba, *Vtcunque Atomi & Inane aliquo sensu dici possint Principia, seu Elementa vniuersi*: Quippe aliquò vsque textum prosequutus, ita de Gassendo loquens excipit. *Verùm hac in parte sibi non stabit. Nam in quocunque sensu Atomi & Inane* (suppleo bona fide hanc vocem, quæ illi haud-dubie excidit) *dicentur Principia, seu Elementa Vniuersi, dicenda sunt principia, & Elementa cuius-vis rei generabilis. Non enim minùs Inane toti Vniuerso locum, & discriminationem ministrat, quàm cui-*

libet rei generabili. Miser, vt se torquet in re nihili! Gassendus ad vitandum cauillos, vsus est illa phrasi, *vtcunque, aliquo sensu*, quasi nempe innuens nihil interesse, quocúmque modo res diceretur, dummodò intelligeretur non esse Inane componentem corporum partem: Vti neque est aër ore, naribus-ve conclusus, componens animalis pars; aut si velis aër per cubicula respersus pars domus; sed quemadmodum partes componentis animalis sunt solummodò carnes, ossa, arteriæ, venæ, &c. Domus verò parietes, tabulata, tectum, vel lapides, ligna, tegulæ, &c. Sic esse solas Atomos partes corporum componentes. Imô & quia veluti prouidit, non defore aliquem Morinum, qui vellet adhûc contendere, debere rem vt de vniuerso, sic de rebus generabilibus, seu concretis; & vt de concretis, sic de vniuerso accipi; verba hæc paullò pòst subiecit, *Addo, nisi velis Plutarchum, Aristotelem & alios authores sic interpretari, vt quod Epicurus, Democritus, & cæteri de principijs, vel elementis vniuersi assumpserunt, acceperint ipsi de principiis, siue elementis rerum generabilium; posse adhuc authoritatem illorum eatenus defendi, quatenus nihil concretum est, in quo præter Atomos, non sit Inane intermistum, quod sit vnicuique rei necessarium, vt certa ratione, seu temperatione cohæreat.* Vides proinde, quàm Morinus se vt miserè, ita vanè torqueat, quò monstret Gassendum debere admittere, quod vltrò admisit, vt quidpiam, cuius nihil intersit, dum modò relicta contentione de nomine, in ipsa solùm re hæreatur. Et vide vt Morinus pergat, *Præterea, non-ne Gassendus supra dixit cum Lucretio, quòd ex Atomis fieri quidem poterunt res non solùm duræ, vt perspicuum est, verùm etiam molles; quoniam quod concrescit ex ipsis, mollescere poterit ex intermistione Inanis? Ergo cum Gassendo impossibile sit gigni rem mollem sine Inani, quod ipsam tribuit mollitiem, vt Atomus duritiem; necesse est, vt Inane sit pars etiam essentialis cuius-vis rei mollis, non secus ac Atomus.* Non admoneo autem quàm frustrà, ac ineptè aduersus declaratam Gassendi mentem vitilitiget; admoneo solùm, vt relegat ea, quæ superiùs aduersùs ipsum circa hoc mollitiei negocium fusè deducta sunt; neque enim, quan-

tum opinor, sustinebit amplius deinceps Camarinam hanc in sui perniciem mouere.

Pergit subinde: *Sed esto, quòd sola Atomi sint principia, siue elementa interna rerum omnium concretarum. Ergo cum eadem sit Atomorum natura (vt volunt) erit etiam omnium concretorum vnicum substantiale principium; sicque omnia erunt dumtaxat vnum, & idem substantialiter: atque hæc ab Epicureis conceduntur, suntque necessario concedenda.* Agnoscis iam vt ille eandem, quam superiùs repetiit, cantilenam hîc repetat, dum ex eo argumentum texit, quod Atomi fiant substantiæ vniusmodi, secùs scilicet ac homæomera ab Anaxagora fiebant. Quippe, vt *Simplicius præ aliis declarat* (verba sunt Gassendi pagina 201.) *cum vellet Anaxagoras corpuscula illa sua secundum substantiam, contexturam-ve intimam, differre inter se, quod alia forent ex se calida, alia frigida, alia carnea, alia sanguinea, &c. Democritus contrà, omnes Atomos posuit* ὁμοουσίους *eiusdem essentiæ, seu paris substantiæ, ac illarum diuersitatum internarum prorsùs expertes.* Porrò priusquam ad Morini consequutionem veniam, perpende, quæso, nùm homo acutus perspectum habuerit, quid ipse sentiret. Cùm ipse se esse Aristotelem profiteatur, qui Aristotelem tamen nunquam legit, neque si, vt antè dicebam, legeret, intelligeret, (& non dico quidem græcè quid enim asinus, hoc est, homo penitùs ἄμουσος, ad Lyram? sed etiam qua est interpretatione Latina) cum ipse, inquam, se Aristoteleum habeat, dignus interim, vt antè adnotaui, qui in Aristoteleorum omnium scholis vapulet; qualem-nam quæso habeat primam Aristoteleam materiam, quæ vnica est, vel per ipsam ab Aristotele traditam principiorum definitionem, agnoscenda principium? Siquidem, cùm ille principia definiat, *quæ neque ex aliis, neque ex se mutuò, ex ipsis verò omnia fiunt;* sola est materia, quę non fit ex alio, seu ex alia materia vllo-ve principio, quod sibi quasi compar habeat; ipsa verò est, ex qua fiunt omnia. Priuatio certè ne vulgò quidem inter principia compositionis, de quibus dumtaxat hîc agitur, habetur; & forma, quam volunt esse aliud principium, ac ipsum quidem substantiale, seu tale, quod substantia sit, necesse

cesse est vt fieri admittatur ex alio, sicque principium minime sit. Et non ignoro quidem tergiuersationes, quibus sudari vulgò solet, vt farciri hæc ruina valeat; sed re tamen seriò acceptâ, cùm forma esse admittatur substantia, ac entitas vera, eáque sic distincta à materia, vt subsistere etiam seorsim ab illa, vi diuina, valeat; cumque huiusmodi entitas, antequam corpus (cuius est forma) in rerum natura gignatur, in rerum natura non sit; necesse est omninò vt cùm primùm exstat, aut creetur ex nihilo, aut ex ipsa materia fiat; atque adeò, vt, cùm neque Aristoteles, neque qui illum vulgò sectantur, admittant illam ex nihilo fieri, necesse sit, vt fieri admittant ex materia, sicque ipsam non esse principium, fateantur. Itaque cùm materia prima vnicum esse debeat tam Aristoteli, quàm Aristoteleis primum, internúmque rerum concretarum principium; quale-nam, amabo, est istud principium? An-non secundum omnes sui partes penitus *ὁμοίως*, *eiusdem*, *vniusmodi-ve essentiæ*, *seu substantiæ*? Non id repeto, quod est iam repetitum, haberi materiam Aristoteli *non quid*, *non quantum*, &c. Addo solummodò ex hoc, aliisque locis solere dici, vt materia prima sit pura potentia, nullam-ve ex se formam siue substantialem, siue accidentalem habeat? adeò proinde, vt sit quidem ad recipiendum omnes capax, quibuscum corpora, composità-ve naturalia constituat; sed ipsa interim ex se incomposita, simplex-ve quædam entitas sit, quæ nullam intra se diuersitatem substantiæ admittat. Iam itaque, dum ait Morinus fore, vt *cum eadem*, seu vniusmodi *Atomorum natura*, seu substantia *sit*, *fore ergo vnicum substantiale omnium concretorum principium*: Non peruidit, miser, posse idem sibi obiici, ac responsum iri perinde fore Atomos Epicuro substantiale vnicum concretorum omnium principium, ac ipsi Aristoteli vnum, idemque est, videlicet prima materies; ac vel in eo fore consensum, quod Epicuro Atomi nihil aliud sint, quàm materia prima. Vnde & dum pergit, *sicque omnia erunt dumtaxat vnum*, *& idem substantialiter*, non peruidit quoque responderi posse id, admissum iri eodem prorsùs modo, quo apud Aristotelem ob vnam, eandemque materiæ substan-

M

tiam, admittendum erit omnia vnum & idem substantialiter; adeò, vt si ille, aut alius sese tueatur, quod admittat omnia esse substantialiter vnum & idem vniuersè, non autem specialiter; eodem planè modo, qui Democritum, aut Epicurum tueri volet, dicturus sit omnia vnum & idem substantialiter, vniuersè quidem, ac non specialiter fore. Quare & cum pergit, *hæc ab Epicureis concedi, esseque necessariò concedenda*; non peruidit eadem ab Aristoteleis concedi, necessario-ve concedenda esse.

Enim-verò quamobrem putat esse hæc Epicureis necessariò concedenda? *quando quidem*, inquit, *nullas in natura formas substantiales admittunt, per quas res genitæ, vt lapis, & leo differant inter se substantialiter; voluntque hæc solum differre inter se, ratione diuersi situs, ordinis, & positionis Atomorum, quæ sunt dumtaxat horum accidentia.* O infœlicem! qui non meminit (quod & refert, carpitque posteà) legi in textu Gassendi ista, pagina 397. *Iam Philosophi illi cæteri* (intellige, Democritus, Epicurus, & alij) *non negant quidem generationem ad substantiam terminari, quatenùs id, quod gignitur, substantiale reuera est. Non negant etiam dari formam, per quam corpus, quod gignitur, talis speciei corporis sit. Non negant rursùs talem formam esse reuera substantiam; si per formam intelligatur pars quædam tenuissima, spirituosissima, actuosissima corporis, qualem in planta, aut animali concipere animam licet. At negant primò talem formam esse nouam substantiam, quasi nimirum priùs non fuerit; cùm etiam illa tenuis portio priusquam crassiorem subeat, tali-ve modo afficiat, præexistat alicubi.* Et posteà, *idipsum dici potest non modò de forma, quam diximus esse corporis totius, sed etiam de forma subtilioris partis, seu appellatæ vulgò formæ, qualis est equi anima, quæ cum reuera substantia sit, alio tamen est modo, quàm vulgò supponunt; cùm nimirùm textura sit ex tenuissimis Atomis, & talis pars sit, ob partialem formam, seu dispositionem, quam Atomi inter se habent.* Non negant ergo Epicurei, vt ille falsò hoc loco ait, & iam superiùs obiecerat, dari in natura formas substantiales; Verùm explicant qua ratione substantiales sint, cùm omninò idem facere Aristotelei non possint.

Nam illi quidem animam, verbi causâ, equi, esse volunt veram, germanámque substantiam, contexturam nempe quandam spirituosam ex subtilissimis, agillimisque, quæ in equo sunt, atomis; qua constante, is vegetetur, motusque omnes animales obeat; quâ dissolutâ, idem mortuus, & absque omni motu animali sit; vnde neque illis laborandum est, vt declarent quî possit forma, anima-ve equi haberi substantia, substantialis-ve entitas; quandò ea per ipsos continet substantiam illius partis Atomorum, quæ in ipso equi corpore tenuissimæ sunt, mobilissimæquæ. At quære ex Morino, ista substantia, substantialis-ve entitas, quam esse vis formam, seu animam equi, vnde habet, cur sit, & vocetur substantia? Ea-ne infecta, facta-ue est? non infectam dices; alioquin enim faceres Deam; factam igitur. An-ne verò ex nihilo, an ex aliquo? Non dices ex nihilo; ex aliquo ergo. Cùm id autem ex quo aliquid fit, sit eius materia; fit ergo forma ex materia? Atqui materiam cum Aristotele, vt ingenerabilem, sic incorruptibilem facis, hoc est eiusmodi, quæ esse desinere materia, vt in aliam rem, quæ non sit materia, qualemque tu formam esse vis, non possit transire? Cum igitur non facias materiam corruptibilem; cùm rideas (miser) Epicureos, qui ad constituendum equi formam accipiunt quasi florem materiæ, hoc est Atomos tenuissimas, spirituosissimas, actuosissimas, quæ in eius sunt corpore; cùm non velis proinde quemdam, quasi florem materiæ, seu tenuissimam aliquam illius partem transire in formam; vndenam est ergò ista substantialis formæ entitas? Garries-ne istam realem, actualem, veramque, & à substantia materiæ distinctam substantiam eduei ex potentia materiæ? At si inde educitur, igitur ibi præexistit; igitur de nouo non fit; igitur neque compositum recens gignitur, cùm iam illius materia, formaque coniunctæ haberentur? At contenta fuit forma in materia non actu, sed potentia? Verumtamen, ô miser! quod aliquo ex loco actu educitur, contineri in eo actu debet, alioquin enim si potentiâ tantum in eo sit, hoc est, solummodò esse possit, nunquam ex illo educetur, quemadmodum ex tua crumena (vt exemplo vtar Gassendi) nun-

quam educes decem aureos, nisi actu in ea sint, sed solummodò esse possint. Sed ne hunc hominis garritum vberiùs hoc loco insequar. Attendo solùm vt ille tum verbis, quæ postrema relata sunt, *voluntque hæc solùm differre inter se ratione diuersi situs, ordinis & positionis Atomorum, quæ sunt dumtaxat harum accidentia*: tum iis, quæ sequuntur: *nam quod in lapide sint diuersæ figuræ, vel magnitudinis, quàm in Leone, hoc nullam naturæ substantialem differentiam afferre potest, cùm ipsæ Atomi sint inter se diuersarum figurarum, & magnitudinum, nec tamen diuersæ naturæ, vt volunt.* Attendo, inquam, vt callidè totum illud caput prætereat, quo à Gassendo disputatur, ac ostenditur, *qui fieri valeat, vt color, calor, sapor, odor, & qualitates cæteræ in concretis appareant; Cum Atomi tamen, ex quibus conflantur, tales qualitates non contineant, verùm solas illas magnitudinem, figuram, & pondus seu motum.* Nimirùm istud quasi præuium est, ad declarandum quemadmodum admissæ ab Epicureis substantiales formæ diuersæ in diuersis corporibus sint, non propter diuersam Atomorum substantiam, sed propter diuersam, quæ illis superuenit, qualitatem; idque cum aduentitia huiusccemodi qualitas oriatur non modò ex certa Atomorum magnitudine, figura, motione, sed etiam ex certo earumdem situ, ac ordine; & diuersa euadat, aut sola earumdem Atomorum transpositione, hoc est, variatione situs & ordinis, aut nouarum additione, aut præexistentium detractione; aut transpositione, additione, detractione simul commistis. Iuuat apponere hoc loco quemadmodum res à Gassendo accepta ex Lucretio Literarum similitudine explicetur. Pagina igitur 227. *Vt Literæ*, inquit, *sunt elementa Scripturæ, & ex ipsis syllabæ primùm, tum dictiones, periodi, orationes, ac libri constant; ita sunt Atomi elementa rerum, ex quibus tenuissimæ primùm concretiunculæ, aut moleculæ contexuntur; ac deinde maiores, maioresque, corporaque exilia, & grandia, ac denique grandissima. Et vt de tribus illis capitibus dicam, sicuti diuersæ literarum figuræ, verbi causâ A, & O, cùm inspectæ, diuersam speciem; tum ad pronunciationem relatæ, diuersum sonum sensui exhibent: ita Atomi prout acutæ, vel rotundæ,*

vel alterius figuræ erunt, & in visus, auditus, olfactus, aliorum-ve sensuum organa incurrerint, diversas sui species creabunt, seu quod est idem, diversarum qualitatum apparebunt. Et sicut eadem litera diversimode posita, diversa aspectui, audituique est, vt N, & Z; vel vt Philopont exempla in minusculis literis afferamus, Γ & Λ cuius quoque modi sunt apud nos b, d, p, q; ita eadem Atomus diversimodè posita diverso modo sensum afficiet; vt si pyramidalis fuerit, & nunc mucrone subintret, nunc basi sese applicet. Et sicut duæ, aut plures eadem literæ, prout diversimodè antecedunt, aut sequuntur, diversas voces, oculo, auribúsque & menti etiam subijciunt, veluti ET, TE; IS, SI; MVS, SVM; ROMA, AMOR; MARO, ORAM, MORA, ARMO, RAMO, &c. Ita possunt Atomi eadem varijs transpositionibus, qualitates, seu species sui diversissimas sensui demonstrare. Et tandem sicut literæ figurarum non plurium quàm quæ in Alphabeto visuntur, sola ordinis varietate, innumerabilem dictionum diversitatem facere possunt, tantum nempe, quæ omnibus libris non modò hactenus conscriptis, sed deinceps quoque conscribendis sufficiant: ita par est, vt Atomi innumerabilium figurarum variè composita, diversitatem qualitatum, seu specierum sui longè, & absque vlla proportione-nè dicam propè infinitè innumerabiliorem faciant. Ac statim, citato Lucretio, illiúsque de Mari spumescente exemplo; *In aqua certè maris, dum spumescit, nulla alia mutatio fit, quàm situs, & figuræ partium in bullulas conformatarum, ex quibus quæ reflectitur lux, aliàs non ita confertis radiis versus oculum reflectenda, candorem creat, statim desiturum, vbi bullulæ euanuerint. Deinde vt exemplum aliud circà calorem habeas, accipe in cyatho aquam, ac potissimùm (vt peragere rem citiùs possis) tepidam; foliorum ex sena manipulum immerge; posteáque paucas guttulas ex oleo vocato Tartari infunde, & peruidebis illicò totam aquam rubescere. Vnde-nam hoc verò? Quippe nullus rubor consimilis fuit, neque in aqua, neque in foliis, neque in ipso oleo. Sed nempe aqua sic penetrat, discutiendoque sic separat, educitque substantiæ foliorum tenuissimas particulas, vt particulæ olei subeuntes id mistum ex aqua, senæque particulis texturam ipsius commutent, corpusculaque sic moueant, ac ver-*

tant, vt lux exterior in ea impingens, refractaque, & relata ad oculum talis coloris speciem exhibeat. Et vis id meliùs agnoscere? Infunde guttas non ex hoc oleo, sed ex chalcantino, seu dicto oleo vitrioli; aqua nihil propterea rubescet. Vnde autem hoc? nisi quia in hoc oleo virtus perinde incidendi, commouendi, conuertendi non est. At infunde paucas eius guttas in aquam, in quam pari modo immerseris manipulum ex foliis rosarum; & videbis statim eam rubescere; cum si ex oleo tartareo istius loco infuderis, nihilo sit rubefacienda. Nisi hoc saltem non arguit, posse ex rebus non rubeis ruborem creari, ob solam mistionem, positionémque variatam partium; eo modo, eadem pluma in collo columbæ, mutato inter se, & ad lucem situ, colores commutant; idemque pannus, prout extenditur, plicatúr-ve, filaque situm inter se, & cum luce variant, diuersorum esse colorum apparet. Rursus autem, vt in alio qualitatum genere consimile exemplum habeas; tange digito hoc vtrumque, hoc est tam tartareum, quam chalcantinum oleum, & neutrum calidum apparebit. Paucas huius guttas in certam illius quantitatem infundito; tunc ebullire totum videbis, summéque incalescere. Vnde hoc rursùs? quando in coniunctis noui nihil est, quod non esset in separatis. Sed videlicet rursus partium ordo, situsque immutatus est, factaque mutua incisione, commistionéque liquorum, tum aër subingressus est, vnde raritas, spumositas, spongiositasque; tum particulis, quæ prius compacta erant, disgregatis, euolutisque; corpusculorum cuspides obuertunt sese, & in sensum incurrentes compungunt, eamque sui exhibent speciem, siue qualitatem, quam calorem dicimus. Saltem illud arguit calorem creari ex rebus non calidis, propter solam partium commistionem, transpositionemque; vt dum aciculæ in aceruum confusæ vndique compungunt, quæ in manipulum ordinatæ leuem sui tactum faciunt; quo etiam modo herinacei setas in cutem depressas innoxiè continges; vbi inhorruerint, steterint-vè non item. Denique vt quidpiam prætereà, quod familiarius sit, proponatur; vide pomum, dum computrescit, & pars quædam est adhuc sana. Quæso te, quanta diuersitas in colore, odore, sapore mollitie, qualitatibus aliis est? Vndenam verò illa? nisi quia propter contactum, contusionem, corrosionem partis illius, quæ computruit, parti-

cula, corpuscula-ve ita inter se commutârunt situm, vt alias prorsùs qualitates exhibeat, quàm sana; qua sit tamen breui exhibitura simileis, vt putà situ particularum pari ratione commutato. Quaso enim postquàm computruerit, ex quibusnam particulis, corpusculis-ve aliis constabit, quàm constet donec sana est? Si dicas partes aliquas exhalando abscedere, & aliquas ex aëre rarescendo subingredi; benè erit; nam ex his solis aut egressis, aut subingressis, ceterisque transpositis corruptio sequetur, sicque fiet color niger, odor teter, sapor amarus, substantia mollis, & si qua sunt huiuscemodi; cum priùs tale nihil appareret. Sed possunt cuique occurrere sexcenta exempla similia. Quibus expositis, vt ea resumam, quæ de forma substantiali ab Epicureis admissa, sunt iam recitata ex pagina 397. Ecce quid prioribus subijciat Gassendus. *Negânt deinde, id quod prateteà est, formaque appellari potest, esse plusquam qualitatem, siue nouum quendam exsistendi substantia modum. Siquidem cùm statuant vnamquamque rem gigni ex sola materie, siue principiorum materialium, substantialiúmque certo ordine, posituque coalescentium aggerie; ideò statuunt rem genitam, siue concretam nihil esse aliud, quàm ipsamet principia, quatenùs certa hac ratione, seu positura coeunt, ac proindè certa hac forma, qualitaté-ve exhibentur. Nam & quamuis imaginemur tenuiorem illam portionem esse per crassiorem diffusam; decernunt tamen formam totius, siue qualitatem, qua tale corpus constituitur, resultare ex situ, ordineque harum, non aliarum partium cum tenuiorum inter se, tum crassiorum inter se, tum tenuiorum, crassiorúmque coniunctim. Potest res non malè ex domus similitudine declarari. Vt enim Domus nihil aliud est, quàm lapides, camenta, ligna, &c. Hac certa ratione inter se contexta, formámque proinde quadratam, aut aliam exhibentia. Vtque nihil in ipsa est, quod ante adificationem, vel in fodinis, vel in syluis, vel in fluuiis, vel alibi non reperiritur; & quòd post eius demolitionem quâ quadratura illius perit, non alicubi jaceat: Sic Equus verbi gratiâ nihil est prater ipsa principia, seu corpuscula, ex quibus certâ hac ratione inter se connexis constat, tùm hac membrorum conformatione, tùm hac interiore vegetatione; tùm vt paucis dicam formâ, qualitate, specie, con-*

ditione est; cùm tamen principia ex quibus seu membra crassiora sunt coadunata, seu tenuior vapor, animá-ve contexta est, extiterint priùs, vel in progenitoribus, vel in frugibus, vel in pratis, vel in aquis, vel in aëre aut alibi; quemadmodum etiam cùm dissoluitur, aut forma euanescit, tam membrorum, quàm vaporis etiam animalis corpuscula futura sunt vel in terra, vel in aëre, vel in vermibus, vel denique alijs in rebus, aut locis. Et sic quidem illi vniuersè, ac adeò etiam Empedocles, & Anaxagoras sunt dicturi. Speciatim verò Epicurus cum Democrito, ac Leucippo dicet, Atomos ita concurrere, commisceri, coaceruari, complicari, componi, disponi, vt ex omnium congerie certo modo dispositâ certa corporis species fiat, appareat, ac denominetur. In huiusmodi corpore nullam esse substantiam, quæ prius non fuerit, scilicet nullas Atomos (quæ solæ substantiam corpoream constituunt) de nouo creari; sed fieri solùm certam illam Atomorum dispositionem, ex qua resultet talis forma, quæ nihil sit reipsa distinctum ab ipsismet Atomis, sed ipsamet sint Atomi, prout certo hoc, & non alio adinuicē modo sunt sitæ. Talē formam per se spectatam, nihil esse amplius, quam qualitatem & accidens, siue Euentum, qui Atomis competit, pro vt in societate sunt, ac relationem mutuam habent; idipsúmque dici posse non modò de forma, quā diximus esse corporis totius; sed etiā de forma subtilioris partis, seu appellata vulgo forma, qualis est equi anima, quæ cum reuera substantia sit, alio tamen est modo, quam vulgò supponunt, cùm nimirùm textura sit ex tenuissimis Atomis, & talis pars sit ob partialem formam, seu dispositionem, quam Atomi inter se habent. Posse Atomos simileis hamulis-ve & ansulis suis sibi inuicem respondenteis concerni primùm, euaderéque in corpuscula quædam composita subtilissima, moleculas-ve tenuissimas, ac infrà sensus consistenteis, quæ sint quasi semina rerum, ac differant solùm ab Anaxagoræ Homoeomeris, quòd tametsi ægrè, nihilominùs tandem dissolui, abiréque possint in Atomos suas, cùm homoeomera Anaxagoræ irresolubilia sint, ac prima principia. Huiusmodi moleculas esse, quasi proxima, immediatáque principia ignis, aquæ, & rerum magis simplicium, cuiusmodi possunt Chymicorum quoque elementa sal, sulphur, mercurius, & similia dici; ex quibus deinde commistis variæ corporum

rum

rum species iuxta varietatem mistionis, dispositionisque creentur animalia, plantæ, metalla, lapides, &c. Denique ex dissolutione corporum magis compositorum, vt quæ sunt mox enumerata, oriri, gignique simpliciora posse, prout secretæ ex iis moleculæ, aut Atomi similiores; istæ quidem heic, illæ verò illeic coaluerint, nouáque & propria extstiterint formâ; vt cùm ex ligno dissoluto generantur flamma, fumus, cinis, alia. Ac tùm recitatis circà ignis exemplum Lucretij versibus, subijcit: *Quare vt de ignis ex ligno generatione quidpiam addamus; dici potest imprimis lignum compositum esse, concretum-ve ex magna quadam varietate corpusculorum, molecularum-ve ex simplicissimis corpusculis, Atomis-ve compositarum.* Ac statim, *deinde, corpuscula quidem eiusmodi esse, vt simul iuncta, commistaque, & hac ratione disposita, ligni formam retineant; sed esse tamen etiam huiusmodi, quæ secreta, aliaque ratione inter se connexa, & disposita, alias minùs compositas, concretasque formas, species-ve corporum exhibeant. Ad hæc, posse præ cæteris ibi agnosci corpuscula rotundissima, mobilissimaque, quæ vbi ex crassiore mole euoluta fuerint, consociataque emerserint, speciem ignis referre possint. Denique ex his esse flammam, quæ ex fæcum, partium-ve aliarum impuriorum abiectione clara sit: quæ tum exsilitionis impetu, tùm aëris instantia sursùm abeat: quæ dilatetur primùm, atque etiam fluctuet, ob non rectam eruptionem corpusculorum omnium sese à materia crassiore expedientium: quæ pungat, penetret, dissoluat, ob corpusculorum subtilitatem, pernicemque eorumdem motum: quæ paullatim attenuetur, & in conum abeat; quòd subtilissima quæque, mobilissimaque præ cæteris corpuscula sese subducant vndique, & quoquouersùm per aërem diffusa lucem faciant, donec flamma paullatim exhausta in acumen absumatur: quæ fumum habeat superstitem, ob corpuscula fuliginosiora, quæ à purioribus cæteris, dum confertim exsiliunt, conuehuntur, vnaque mouentur, & dissipatâ in lucem flammâ, sinceriore-ve eius parte, institutam sursùm viam ire aliquatenùs pergant: quæ denique sit quidem corpus, ligno, ex quo prodit, componitur-ve simplicius; sed sit tamen ipsa composita adhuc ex luce & fumo, ac vtriusque corpusculis, quæ sint ipsa adhuc multiplicia; cùm quidquid sit de*

ipsa luce, de qua dictum superiùs est, constet fumum tametsi simpliciorē flammâ, esse præterea compositū ex aqueis moleculis, ipsis adhuc compositis, tùm ex moleculis fuliginis camino adhærentis, quàm nō esse vniusmodi, sed variè adhuc cōpositam declarat eius multiplex cohærentia, incohærentia, densitas, laxitas, resolutio, &c. Prætereo quod dictum de flamma, deduci posse de carbone, cineribúsue residuis, qui compositi sunt ex moleculis tum salis multiplicis, cum terræ, quæ partim est limus, partim sabulum, seu arenulæ, quæ sunt vitri materies suis ex particulis constans. Adnotasse sufficiat lignum rem compositam esse ex omnibus istis simplicium corporum corpusculorúm-ve, seu molecularum, Atomorumque generibus; ac formam ligni ex omnium congerie, concretione, complexione, dispositione consistere; & ignem; seu flammam rem esse constantem ex multiplici corpusculorum genere, quæ continebantur in ligno, quæque & secreta ab aliis, & concreta inter se aliam nanciscantur dispositionem, ac formam, corporisque noui speciem exhibeant.
Ista refero pauló fusiùs; sed ero deinceps quoque tantò breuior, quantò minùs erit necesse circa tot Morini nugas immorari. Priusquàm verò illas percurram, operæ-pretium est adnotare, videri Aristotelem quoque reputare formam esse qualitatem, siue accidens; ac eatenùs solùm habendam substantiam, quatenùs est ipsa materia certo quodam modo se habens; adeo proinde vt si formam aliquandò οὐσίαν dicat, videatur non *substantiam*, sed *essentiam* intellexisse, quatenùs vt statuæ Mercurij essentia constat tùm ex ære, tùm ex tali forma, quæ licet sit accidentalis respectu ęris (cùm æs sine illa esse valeat) essentialis tamen ipsi statuæ est (quod sine illa esse statua non possit) ita forma naturalis, quæ accidens sit respectu materię; respectu tamen compositi essentialis sit; tametsi aliundè non sit substantialis. Heinc profectò esse videtur cur nunquam Aristoteles de materiâ & formâ loquens, alia exempla pro rebus naturalibus, quàm pro artificialibus vsurpet: ac materiam primam non aliâ ratione græco nomine ὕλη Syluam dictam velit; quàm quia, vt sylua, arborís-ve truncus continet potentiâ omnes formas artificiales; ita ipsa materia continet potentiâ omnes natu-

rales; & vt forma Mercurij est tantùm modus sese habendi ipsius arboris siue ligni, figura nempe quæ resultat detractis his illis certis partibus; sic naturalis forma nihil aliud sit, quàm certus modus sese habendi ipsius materiæ, prout detractione, additione, alijs-ve modis formatur; adeo proinde, vt vtraque esse posset accidentalis respectu subiecti, quæ respectu tamen resultantis, compositi esse essentialis videatur. Confirmatur autem ex eo, quòd Aristoteles de materia, & forma naturali loquens, & quatenùs quidem ex ipsis fit ens simpliciter, non alios vsurpat, quàm communes rebus naturalibus, & artificialibus procreandi modos. *Nam quæ generantur simpliciter*, inquit, *generantur aut transfiguratione, vt statua ex ære, aut additione, vt ea quæ augentur, aut ablatione, vt ex lapide Mercurius; aut compositione vt domus, aut alteratione vt ea quæ mutantur secundùm materiam* Refert ipsos Gassendus pagina 406. & cum recitatis ex Epicuro comparat. Pagina autem 3.5. insinuat, licet interpretes Aristotelis recentiores contendant sensisse Aristotelem esse formas rerum naturalium substantiales; antiquiores tamen, ac præsertim Græcos, qui illius mentem ex proprietate sermonis, & speciali studio scriptorum ipsius, meliùs nosse poterant, secùs accepisse. Et de formis quidem elementorum essentialibus, quòd nempe Aristoteles non agnouerit alias, quàm qualitates primas combinatas; Memini cùm hac de re Gassendum rogaremus, citata ab eo fuisse cùm loca Aristotelis varia, tùm commemoratos, qui rem ita fuissent interpretati Alexandrum, Themistium, Simplicium, Philoponum, Porphyrium, Ammonium, Olympiodorum, &c. De formis autem mistorum eosdem citabat circa illud, quod in eadem pagina subiicitur, referendo illos scripsisse ex mente Aristotelis, tales formas *nihil esse aliud, quàm diuersos modos sese habendi materiæ, seu quibus materia per quantitatem effecta corporea, ad genera certa corporum determinatur.* Et vide quid sequatur, *Quin-etiam Alexander ita vult corporeitatem esse à sola quantitate, vt tam materiam, quàm formam habeat incorporeas, & non diffiteatur corpus, vt putà lapidem, plantam, animal, constare ex rebus incorporeis, materià nimi-*

rum ac forma. Et cum illi obijcitur, non posse totum constare nisi ex partibus congeneis, atque adeò corpus, nisi ex corporeis: Respondet corpus ex materia & forma constans non esse ex ipsis tanquàm totum ex partibus, in quas dissolui totum potest (integranteis iam vulgò dicunt) quomodò est domus ex lateribus, aut homo ex capite, pectore, &c. neque tanquam mistum ex aliquibus, quomodo est mulsum ex aqua & melle; tametsi id in aquam, & mel dissolubile non sit; sed tanquàm ex materia, & specie, quo modo statua dicitur ex ære, figuráque constitui. Aliundéque esse non absurdum ducit, gigni corpus ex non corporeis, vt calidum gignitur ex non calidis, vniuerséque contrarium ex contrariis, iuxtà Aristotelem, quem in eo quoque imitatur, quod exemplis semper desumptis ex rebus artificialibus, animalis etiam materiam, corpus-ve comparet cum cera; ipsam verò formam, siue animam cum figura. Quæ omnia quidem refero, vt manifestum faciam Morinum cùm Epicurum rèdarguit, quos simul redarguat prorsùs ignorare.

Sed redeo ad eius quisquilias. Dicit imprimis *comparationem*, seu similitudinem *literarum esse dupliciter absurdam.* Quære ex eo tamen comparationem suæ sententiæ declarandæ tam appositam, & videbis quàm obmutescat, ac se solâ ringi inuidiâ testetur. *Primò*, inquit, *quia literæ Alphabeti sunt diuersæ naturæ, siue valoris, & pronunciationis; vnde nihil mirum, quòd pro diuersa positione, & combinatione fiant diuersæ pronunciationes, atque voces: sed Atomi, vt volunt, sunt eiusdem naturæ, non obstante figurarum diuersitate fictitia, quæ illis dumtaxat esset accidens, vt superius dictum.* Prætereo quàm ridiculè similia esse eadem velit, & naturam, ac vsum similitudinum ignoret. Dico solùm si aliqua ineptiarum eius habenda sit ratio, literarum naturam, seu substantiam, Atomorum naturæ seu substantiæ respondentem, esse non valorem, ac pronuntiationem, quæ mera accidentia Literarum sunt, cùm ex hominum instituto pendeant: Sed esse ipsum atramentum, quo supra chartam exhibentur; hanc autem naturam esse vnam, eandémque in omnibus; (neque secùs vna, eadémque erit, si non in charta, sed in ore accipiatur; idem scilicet halitus) figuras autē vt in Atomis sic in literis;

non euenta seu accidẽtia, vt ille intelligit, esse; sed esse internas potiùs proprietates, seu essentiales differentias, per quas inter se distinguantur; cùm & aliunde vt Atomorum, sic literarum ordo, situs, itemque additio, detractio, transpositio, omnem vt rerum in natura, sic dictionum orationumque in charta (aut si velis quoque in ore) varietatem faciant. *Secundò*, inquit, *quia si ex combinatione diuersa viginti trium tantum literarum fieri queunt omnia linguarum omnium, quæ iam sunt & esse possunt vocabula; nõn-ne ex combinatione infinitarum Atomorum superinfinitæ species rerum producerentur?* Rogitat subinde cur non plura metalla, plures planetæ, plures plantæ, &c. Verùm abeat in malam crucem, cum sua illa infinitate, cuius occasione iam ante illum vt apertissimæ ita & malignissimæ imposturæ conuicimus. Redit cohærenter ad suam trituram, tanquam ad suam molam asinus, ac facit iterùm ex æquo naturam & artem, rogatque, *cur in Atomos triturando sal, alumen, &c. quantum naturæ & arti possibile est, non tamen mutetur rei species per Atomorum ordinem & situm, vtcunque variatos:* Ac tum quasi hærens quid ad hoc Gassendus sit responsurus, responsionem illius fingit, quæritque in illam incommodum, & vt Gassendus illud tollat, iubet. Sed quàm abest optimus vir, vt aut dignetur ad tam inepta interrogata respondere; aut pro captu, proque arbitrio tam emotæ mentis quicquam dicere? Certè me quoque prorsùs piget aliud reponere ad ista, quàm non modò vitulum de quo, (responsione rursus confictâ, obiectionem texit) sed ipsum quoque tam grandem bouem, *naturam suam* ex Atomorum innumerarum accessione, decessionéque *non immutare.*

Neque secùs est accipiendum, quod cùm Gassendus præter citatum illud, *Non negant rursus talem formam esse reuerâ substantiam, si per formam intelligatur pars quædam tenuissima, spirituosissima, actuosissima corporis, qualem in planta, aut animali concipere animam licet*; Dixisset antè impugnando substantialem formam, prout vulgò admittitur: *Nam si dum forma dicitur esse in potentia materiæ, admitteretur esse quædam portio, & velut flos quidam ipsius, qui deinceps tenuaretur, ex*

densiore massa emergeret, illi denuò copularetur, eamque veluti animaret; tum quidem posset eductio, tanquam veræ, ac substantialis entitatis intelligi; verùm hoc nolunt, &c. Quod, inquam, cum hæc dixisset Gassendus, id ita Morinus est interpretatus; *vnde videtur innuere Atomos esse veluti quandam farinam, quæ similam, & furfur continet, & Atomorũ similam abire in rerum formas extrinsecùs apparentes auri, plantæ bruti, &c. furfur verò fieri partem corporis crassiorem.* Nempe (vt prætercam hominem acutum, dictionario etiam consulto, non perspexisse florem farinæ, non similam, sed pollinem esse, ac inter similam & furfures intercedere secundarium) dicere aliud quidquam vix iuuat, quàm quod homini planè furfuroso, auersantique similam, iure destinentur soli furfures, quibus, vt illud animal, quod agnitum superiùs est in volutabro luti, pascatur: nam quòd similam, siue partem illam Atomorum tenuissimam spirituosissimam, &c. *pro formâ extrinsecùs apparente* accipit, tam ridiculè facit, quàm dum cohærenter probat in auro omnia esse similam; in bruto omnia furfures, quoniam in auro exsoluto, forma intima maneat, quatenùs pars minima auri, aurum sit; in bruto mortuo, anima, quæ in carne, arteriâ, osse eadem fuerat, non maneat, sed remaneant solummodò extrinsecæ harum partium formæ. Et argutatur quidem prætereà solum florem, seu similam concrescere posse seorsim in corpus, posse & solos furfures, quasi hoc siue forma illud, siue materia sit: Sed quia ad textus recitatos, vbi & speciatim de forma formæ, & generatim de formâ siue qualitate, quæ in quacumque demùm concretione ex Atomorum ordine, positu, &c. exoritur, non sustinuit attendere; idcircò non est cur illum moremur.

Pergit porrò, *hæc quidem aduertens Epicurus non ausus est* (videlicèt Morinica subtilitas illum exterruit) *negare quatuor Elementa veterum Philosophorum, Ignem, aërem, aquam, terram, inter se naturis maximè differentia, & contraria; sed Gassendus ait, illum hæc admisisse dumtaxat, quatenùs sunt elementa, seu partes componentes Mundi, non autem quasi sint elementa, siue principia concretorum, nisi secundaria, magisque*

propinqua; videlicet voluit ea non esse prima, quasi infecta ex aliis, sed constare quoque ipsa ex Atomis, tanquam vlterioribus, primísque principiis. Continere me hoc loco non possum, quin ex pagina 756. egregiam Gassendi coniecturam subijciam circa celebrem, receptámque apud veteres omnes opinionem. Quòd Elementa quatuor sint; ne quis putet illam, quæ vulgò habetur de igne sublunari opinionem probatam illis omnibus fuisse, cùm ea solius Oceli Lucani & Aristotelis fuerit: tametsi Aristoteles quoque alicubi dicat; *licet illud corpus* (quod nempe inter Lunam, & aërem est) *dicere ignem consueuimus; ignem tamen nequaquàm esse.* Eccè igitur, vt locus se habeat: *Verùm, vt aliquid specialius de hac, ceterísque Regionibus dicam, idque insinuando, quid liceat probabiliter comminisci de constitutis quatuor apud veteres omneis Elementis; videntur primùm homines, ex quo cæpere primùm de Mundo, déque natura philosophari, animaduertisse prima specie esse duas Mundi parteis præcipuas; Cælum videlicet ac Terram; & cum specialiùs attenderent, adnotasse, posse vtramque in duas Regiones distingui, Cælum putà in Superiorem, quam dixerunt ignem, & inferiorem quam aerem; Terram in nauigabilem, quam dixerunt Mare, seu aquam; & calcabilem, quam specialiùs Terram: Quippe, vt ab hac incipiamus, obseruarunt Terram patere quàm-latissimè, & serie Montium, Planitierum, vallium sibi alternis succedentium absque cognito limite extendi: Obseruarunt etiam Marè tanta amplitudine exspatiari, vt videri posset in Immensum fundi; quippè cùm nullum etiam ipsius agnoscerent terminum: Obseruarunt & aerem ab vsque ipsis Aqua & Terra ad regionem vsque Astrorum fusissimè exporrigi: Obseruarunt denique supra aerem regionem illam cælestium ignium patentissimam; nempè sydera fuere illis ignea; quòd præter colorem igneo similem, diffunderent etiam calorem: vnde & docens Plinius esse ignem summum, subijcit indè esse tot stellarum collucentium illos oculos. Ceterùm vt vox quadrilitera constat ex quatuor literis, quæ appellantur Elementa, ita videntes Mundum constare ex hisce quatuor regionibus, idcircò illas esse quatuor Mundi elementa dixerunt. Et quia vt viderunt Terram à suis incoli animali-*

bus; Mare, seu aquam à piscibus; Aerem à volucribus; sic regionem illam Supremam à sideribus: Ideò habere sidera pro animalibus illius, adeò proinde vt animalium alia essent terrea; alia Aquea; alia Aerea; alia Ignea. Hinc nimirum est Ouidianum illud ex Platonico Timeo desumptum.

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solum, formaque Deorum;
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus Vndæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer, &c.

Porrò vt quatuor sunt elementa, ita quatuor sunt, quæ respondet Morinus. *Primò*, inquit, *quod dum asserant elementa constare ex Atomis Epicureis, incidunt in paralogismum; hoc enim illis probandum est.* Infœlix! Et cùm ipse asserit constare ex materia Aristotelica, nonne potiùs paralogizat, quatenùs non modò id non probat, sed oppositum potiùs infert, dum vult Elementa vltimò resolui non in primam materiam, sed in particulas minimas, quæ elementorum naturam retineant: cùm Epicurei secùs prorsùs faciant? *Secundò*, inquit, *quòd natura nulla est via resoluendi aquam in Atomos, quàm ipsam resoluendo in vaporem, quo ipsa natura tenuiorem efficere nequeat; Atqui tunc minutissima ipsius vaporis particula est adhùc aqua, &c.* Verumtamen quia heic nihil aliud, quam eædem nugæ repetuntur, de quibus dictum iam ante est; nihil est cur ego quidquam repetam: nisi quòd mirabilis semper Morini temeritas est, dum confidit naturæ vim ita sibi esse perspectam, vt vltra id, quod ipse videt, moliri illa quicquam non possit. Vide nihilominùs adhûc egregiam illam nugationem, qua contradictioni ostendendæ insudat. Vbi enim minimam vaporis particulam esse aquam dixit, sic infit; *Ergo illa particula non est Atomus Epicuri. Nam Atomus Epicuri non est aqua (vt volunt) sed aquæ particula; Et tamen est Atomus Epicuri iuxtà primã eius rationem ex atomorũ hypothesi à nobis superiùs refutata; vnde contradictio.* Macte (quàm parùm abfuit vt dicerem Matte) Morine: Macte, inquam; habebis præmium. *Tertiò*, inquit, *quòd etsi concederetur Atomos esse prima rerum principia, non tamen sequeretur illas solas esse rerum generabilium principia. Nec proderit eorum refugium ad*

Atomo-

Atomorum moleculas, quas dicunt esse semina rerum; quando quidem ipsæ nihil aliud sunt, quam Atomorum quædam congeries, de quibus idem, quod de Atomis dicendum est. Capisnè, Amice, quid velit, dum istud effugium (sic opinor dicere voluit) comminiscitur? Ego certè nihil aliud capio, quàm perinde esse, ac si dicente aliquo, Prima Orationum omnium elementa esse literas, ex quibus factæ dictiones fuiit veluti signa rerum omnium exprimendarum: Morinus autem illum pro sua subtilitate reprehenderet, argueretque, tametsi literæ sint prima elementa, non sequi nihilominùs illas solas esse elementa, neque valere eius ad dictiones refugium, quandoquidem dictiones nihil aliud sunt, quàm quædam Literarum congeries, de quibus idem, quod de literis censendum sit. *Quartò*, inquit, *ex doctrinâ Epicureorum patet ipsos velle, quod atomi sint prima rerum materia, qua in re conueniunt cum Aristotele & Platone, qui aliquam esse primam rerum materiam ingenerabilem, & incorruptibilem asseruerunt; sed dum Epicurei suis Atomis diuersas attribunt magnitudines, figuras, atque motus, easque solas volunt esse principia rerum omnium naturalium, ablegatis substantialibus formis: hoc vocatur nugæ nugarum; nulla enim esset in rebus physicis substantialis differentia; & canis non esset potius canis, quàm Leo substantialiter; quod opinari stultum est.* Vides vt heic stultus, seu Morio Morinus nihil hoc loco, quam suam Moriam, hoc est, stultitiam repetat; quamobrem necesse non est, vt ea, quæ sunt nimis quàm copiosè deducta, inculcem. Nam & quod non modò Aristotelem, verumetiàm Platonem citans, quæ vtriúsuis eorum, & sententia (& Platonis maximè) fuerit, crassissimè ignoret, repetere nihil attinet. Operosè deinde notat duo esse principiorum materialium genera, propinqua nempè, vt putà elementa (aut etiam Sal, sulphur, Mercurium) & remota ex quibus nempè elementa ipsa componuntur, vt putà materia & forma; & cùm mixta corpora reduci naturà vel arte in propinqua principia valeant, attamen seu mixta seu simplicia (hoc est elementa) non posse nisi à solo Deo ita reduci in remota, nimirùm materiam & formam, vt tam materia,

quàm forma seorsim subsistant, ac ideò rectè Philosophos hermeticos asserere elementa esse intransmutabilia, cùm Gassendus quoque admiserit, aërem, si est aliquid distinctum à vaporibus, transmutabilem in aquam non esse. Quo loco nihil est cur insistam, ac potissimùm cùm quid dicat, nesciat? Quære enim ex illo cur duo remota principia, hoc est non modò materiam, sed etiam formam materialia faciat: cum proindè non minùs liceat dicere materiam formale, quàm formam materiale principium? Quære quamobrem reductionem in materiam primam sic accipiat, quasi, si ea fiat, materia debeat sine formâ, aut forma sine materiâ seorsim subsistere? cum & Aristoteles & omnes eius Sectatores resolutionem dari admittant vsque ad materiam primam naturaliter, & absque eo, quòd recurratur ad diuinam vim; contingere nempe id intelligentes, quotiescunque nihil formarum siue substantialium, siue accidentalium, quæ præfuerint in genito, superstes maneat in corrupto? Quære quorsùm si vera est Aristotelis & aliorum, quam tuetur de quatuor elementis, sententia; vera esse igitur possit Philosophorum Hermeticorum, Chymicorúm-ve sententia, quos tanquam penitùs scrutatos naturæ anatomiam commendat; aut si istorum vera est; esse vera illorum possit; cùm tam isti velint Sal, sulphur & Mercurium esse irresolubilia in terram, aquam, aërem, ignem; quàm illi terram, aquam, aërem, ignem irresolubilia in sal, sulphur, Mercurium; & tam isti contendant omnia etiam terram, aquam, aërem, ignem resolui posse in Sal, sulphur, Mercurium, quàm illi contendunt omnia etiam Sal, sulphur, Mercurium resolui posse in terram, aquam, aërem, ignem! Quære quî fiat, vt si aqua resoluta in minimas particulas nunquam amittit formam aquæ, neque ignis resolutus in minimas particulas, nunquam amittit formam ignis, atque ita de cœteris: quî fiat, inquam, vt elementorum haberi possit perfecta mistio, seu illa coalitio, ob quam Aristoteles dicit quamlibet partem misti esse mistam; cum hac ratione elementorum particulæ incommistæ perinde maneant, ac si mistio fieret ex frumenti, hordei, fabarum & pisorum granis? Quî possit

forma misti aliud esse, quàm aggeries harum omnium formularum in singulis elementorum singulorum partibus, seu quasi materieculis seorsim consistentium: cùm formis substantialibus singulorum elementorum in sua materia remanentibus superuenire noua & distincta, ac substantialis mixti forma, qualis est anima, non possint, nisi duæ formæ substantiales esse admittantur in eadem materia? Quære, inquam, hæc, aliáque id genus, ex adnotatore isto sedulo; & peruidebis quàm sit aliquid apposité repositurus.

Sed, Pamphile, arrige aures; profatur enim Morinus sic, *Præter suprapositas rationes hæc vltima non erit omnium minima.* An fortè, Morine, etiam maxima? ô quanta esse debet, quam tu tanti facis! Age igitur: *Atomi omnes Epicureæ*, inquis, *conueniunt in interno suæ naturæ materiali principio.* Hui, Morine! Et tam citò nobis paralogismum pro ratione ostentas? Quoniam tibi concessum fuit esse Atomos omnes eiusdem substantiæ, vel essentiæ, seu vniusmodi simplicis naturæ: tu iam non substantiam, non essentiam, non naturam assumis, sed materiale naturæ principium. Quid est hoc Morine? latet anguis, an non? *Sunt enim*, inquis, *omnes corpuscula materialia*; Ineptè, quasi sint aliqua corpuscula inmaterialia? Sed tanti est viam ad consequutionem parare. *Non ergo*, inquis, *per suam materiam differunt inter se* Quàm non me fefellit tuus paralogismus, quo concessum de vno, assumebas de alio! nempe quod de substantia seu essentia Atomorum concessum fuit, tu & assumpsisti, & iam concludis de materia, cuius quia notio est, vt sit id, ex quo aliquid fit, putas te obtinere, vt Atomi sint factæ, constentque ex materia, quod non potuisses ex substantiæ, essentiæ-ve notione obtinere. Quamobrem cùm neque dicere debueris materiale Atomorum principium neque Atomos materialia corpuscula esse, quasi constent ipsæ ex materia; cum sint potiùs ipsa materia; paralogisticum est, quod concludis *non differre Atomos per suam materiam*, quasi nimirùm ex materia, vt ex quodam principio constent. Sed perge. *At differunt*, inquis, *inter se per suas figuras cubicas, octahedricas, &c. quæ sunt Atomorum proprietates internæ, ac essentiales.* Vide

vt inuerfim iam paralogizes; viciffim enim non de materiâ, fed de effentiâ accipis; cùm effe figuras proprietates non materiales fed effentiales dicis. *Ergo*, concludis, *præter materiam Atomis omnibus communem debent illis inesse principia formalia diuersa.* Lentè, Morine, ne propera, heic fcilicet præter inuerfum rursùs tuum paralogifmum, factus ex hac tua argumentatione fyllogifmus tam conftabit ex quatuor terminis, quàm tuus ille vitulus ex pedibus quatuor. Nempe principia ifta formalia in præmiffis non fuerint: *Per quæ*, pergis, *istæ Atomi cubicæ, octahedricæ, &c. differant essentialiter, & à quibus sint illæ diuersæ figuræ, siue proprietates internæ.* Hem Morine! vt eundem femper paralogifmum verfas, reuerfafque: hîc enim iterùm à materia ad effentiam. Age ergo; conclude tandem: *Sicque Atomi*, inquis, *componentur ex materia & forma.* Dic potiùs Morine, *ergo glue*; & Anticyram nauiga, vt fi aliquid fanæ mentis recuperare valeas, tum ratiocinari condifcas, tum non ampliùs cauillationes, & argutationes nihili pro germanis, magnique faciendis rationibus obtrudere. Quod certè concludis vlteriùs: *proindeque materia & forma erunt prima corporum Physicorum principia constitutiua: vt voluit Aristoteles, quatenus omne corpus Physicum materia, atque forma constat*; Scito ire te àb Ariftotele vapulatum, qui feceris anfam, vt pari argumentatione concludatur materiam conftare ex forma & materia; & formam ex materia & forma; vtque de iftis materia, formâque vlterioribus idem poffit quæri, concludique in infinitum. Vapulatum rurfus, quòd metaphyficas argutias in Phyficam transferas, & compofitionem rationis idem effe cum reali putans, quid reipfa fimplex, quid compofitum non diftinguis; ac primò teipfum, & deinde omnia fufque déque miferè turbas. *At inde sequeretur*, fubfumis, *Atomos non esse eiusdem naturæ contra Epicureorum mentem.* SCILICET MORINE, SCILICET.

HVC-VSQVE fuere, MI AMICE, præter caput, tres illæ partes, antica, intermedia, & poftica ridiculi Muris. Cauda fupereft, quam vt, ille confuat, fpeciem quandam Epilogi cum Præfatione continuat, inque modum hunc finien-

do exorditur. *Modis*, inquit, *quam-plurimis possemus ostendere Epicuri Philosophiam de rebus Physicis esse vniuersim absurdissimam, si eius conclusiones & dogmata sigillatim discutiendi nobis esset voluntas, & otium; quidquid Epicurus Lucretius & Gassendus & alij circa ipsam excogitauerint.* Quàm belle, mi amice, hic Morinum vides! Cùm octodecim totis mensibus in consarcinanda sua aduersus Epicuri Philosophiam Dissertatione consummatis, non tota tria folia ferruminare potuerit (hactenùs nimirùm folij quadrans deest) iactat nihilominùs se non vno modo, sed *quam plurimis posse ostendere*, &c. Et quot putas non menses, non annos, sed secula, licet iam penè septuagenarius, exigeret, priusquàm ad molem iusti voluminis perueniret? Sed fac vixisse, fac scripsisse, fac *conclusiones, & dogmata sigillatim excussisse*: quid putas denique proferret? Agnosce ex hoc opusculo non Leonem ex vngue, sed quasi Asellum ex vngula. Conatum habes, & summum quidem; ex vno igitur disce omnes: Iactat *se posse ostendere talem Philosophiam vniuersim absurdissimam*: At ex deductis hactenus constat nihil posse illum ostendere aliud, quàm se vniuersim absurdissimum. *Philosophiam*, inquit, *de rebus Physicis*: Ecquis non sperasset, vt diceret etiam imò & præcipuè de Moralibus? Non-ne enim Morales sunt, ob quas Epicurus fuit potissimùm infamatus? Sed nimirùm præter spem suam, legit Epicurum non modò aliter vixisse, sed etiam aliter sensisse de rebus moralibus, quàm ipse, pessimè moratus, arbitraretur anteà; & quod superest, reputauit esse quæstiones Physicas vitilitigationi suæ moralibus longè accommodatiores. *Si esset*, inquit, *voluntas, & otium*; de otio eius non litigo; quandò id dicat suis Astrologicis hariolationibus vtilius; de voluntate tamen contestor; neque enim illa, sed facultas deest: facultas, inquam, vt aliquid, quod frugi sit, edere possit. Profectò enim eam testatur in Gassendum maleuolentiam, vt sibi vitam potiùs, quàm eam voluntatem defuturam prodat. Pergit, *Sed hæc pauca sufficiant, ad dignoscendum eam potiùs ortum duxisse à mendace, sibique non constante dæmone (qui his nouissimis temporibus ingeniorum deprauationi totis viribus in-*

cumbit per Philosophiam, atque Theologiam) quàm à Deo supremà & constantisima veritate; illiusque Philosophiæ cultores potiùs falsi, quam veri esse patronos. Heic iam incipit insinuare, quod testaturus mox est apertiùs esse se in Gassendum non simplici maleuolentia; sed insanissima etiam rabie accensum: sed pedetentim tamen insequamur. *Hæc pauca*, inquit, *sufficiunt ad dignoscendum eam* Philosophiam *ortum duxisse à Dæmone.* Quænam verò hæc tandem sunt? Edisseruit, quà miserè potuit, non esse Atomos, non esse inane, non esse Atomos principia: At verò nō sunto Atomi, non esto inane, non sunto Atomi principia: cuiusnam generis Dæmone opus fuit, vt opinio de Atomis, de inani, de Atomis principiis, inueheretur in mundum? Et, si hoc sit, quænam est Philosophia quæ cum plurima innuehat falsa, non Dæmonem habeat authorem? Quanquam ista-ne falsa sint, est saltem ad summum incertum; at in Aristotelis Philosophia; vt taceam principia illius non esse certiora, & Hermeticos, quibus Morinus iam adulatur, ipsa esse non modò incerta, sed falsa etiam reputare (in eo sapientiores Morino, quod non propterea illorum inuentionem ad Dæmonem referunt) annon sunt manifestè falsa, quæ de Galaxia, quę de ortu venarum, aliisque sexcentis in sua habet Philosophia? An-ne ergo has opiniones Dęmon quispiam malus suggessit Aristoteli, vt Morinus eas tutaretur? Verùm ista, inquiet, sunt dumtaxat falsa, Epicurus posuit Atomos increatas infinitas, &c. quod asserere impium est? Sed non-ne Aristoteles sua principia increata posuit, & tam ipsis, quàm toti mundo æternitatem, seu infinitam durationem attribuit; cùm Epicurus saltem censuerit mundum ab æterno non fuisse? Eccur igitur Epicuream potiùs, quàm Aristoteleam Philosophiam ortum duxisse à Dæmone dicat? Cur non idem verò etiam dicat de omnibus sectis, quæ in scholis iam sunt, Thomistarum, Scotistarum, & aliis, quarum cùm nulla sit, quæ non aliam plurima habere falsa reputet, ac in tanta oppositorum dogmatum multiplicitate, esse omninô in singulis quędam falsa oporteat (neque enim opposita omnia esse simul vera possibile est), debet Morinus asserere duxisse eas omnes à

Dæmone ortum? Quid quòd ex Morini interpretatione, nemo hominum poteſt falſum quid, etiam inſciens, dicere, quin exprobrare illi valeat, hoc, quod dicit, ortum à Dæmone habere? infœlix verò ipſe Morinus, cùm falſa proferat tam multa, quoties à Dæmone illa edocebitur? Id certè tantò iuſtius illi exprobrabitur, quantò id ſciens & volens facit: nam qui alioquin putant ſe dicere verum, cum præ ignorantia falſum quid pronunciant (vt illi eſſe poſſunt, qui Atomos, inanéque admittunt) quî non ſint excuſabiliores? Enim-verò abundè iam perſpectus eſt Morini genius; Nempe is eſt, qui non tam ratione nôrit agere, quàm (vt ſi quoquo modo poſſit quemcunque delegerit aduerſarium deijcere) confugere ad malas artes; qua re nihil poteſt fieri, vt peruerſius, ita argumentum Philoſophicum tractante indignius. Quid illi tamen facias, quandò ex abundantia cordis loquitur; nihilque mirum eſt, ſi in corde geſtans Dæmonem, ita facilè Dæmonem loquatur? Quid dico, geſtat Dęmonem? imò ipſemet Dæmon eſt, vel propria ſui confeſſione. Non memini loci, neque occaſionis, qua ſe apertè Dęmonem dixit in ſua illa farragine, quam de longitudinibus ſcripſit; ſed meminiſſe tu quoque potes (ambo enim eramus) vt Nevræus noſter legendum nobis locum præbuerit, in quo ille ſe dixit Dæmonem, & ordinis quidem, neſcio an tertij, quarti, vel quinti. Erit-ne proinde cur indignari debeat, ſi illum deinceps vocem Dæmonem, non ſanè ob ſcientiam, qua præditus ſit, ſed ob inexhauſtam malitiam qua turget? Et non memoro quidem illa Sabbata, quæ cum aliis Dęmonibus celebrat in illo ſuo vico non Algentium (vt ipſe interpretatus fuerat, indigitando in ipſa fronte, vbi degeret, ac ſuos illos libros venales haberet) ſed, vt clarius dicam, Morfondutorum; quamquam iam, quia res obiecta illi fuerat, commutauit Epigraphen; in fronte enim huius Diſſertationis habet non *in vico des Morfondus*, vel *Algentium*, vt aliàs; ſed, *in Suburbio D. Marcelli iuxta ædem Patrum Doctrinæ Chriſtianæ*; ita ſunt, quod dicunt, mala iuncta bonis. Non memoro, inquam, illa Sabbata; ſed adiicio nihilominùs nullam ipſi me facturum iniuriam, ſi

quando tantus calumniator, impostorque est, quantum & iam ante ostendi, & ostensurus deinceps sum, illum appellem diabolum; imò & quia tam sponte, tamque iniustè aduersarium se infensissimum aduersus virum optimum gerit, appellem quoque Satanam. Sed periodum hanc prius expediamus; *Qui his nouissimis temporibus ingeniorum deprauationi totis viribus incumbit per Philosophiam atque Theologiam.* Vidimus iam antè vt magnus hic Doctor Concionatores docuerit; en vt ipse iam concionetur. Nimirùm ne quod genus hominum Theoninum eius dentem effugiat, non Sectam modò Philosophicam; sed Theologicam quoque heic commordet. Nihil est necesse vt adnotem insinuari ab illo Theologiam quam iam dicunt Iansenistarum; subnoto solùm pruriginem, qua se quoquo modo immiscere cuiuis factioni satagit, si quam inde possit gloriam reportare. *Illiusque Philosophiæ cultores potiùs falsi, quam veri esse patronos.* Hæc est conclusio perorationis, qua extremum posticæ partis cum cauda ipsa copulat.

Sequitur nempe breuis præfatio, quæ hisce verbis prætexitur. *Quod vt pateat euidentius, subiungam dumtaxat tres selectas falsitates à Gassendo expositas; primam contra Deum, secundum contra Ecclesiam, & tertiam contra naturam.* Horresco referens, mi amice! neque esse quemquam virum bonum puto, qui non pariter hæc legens horrescat, ô tu Morine! non iam Dæmon, sed Dæmonissime; non diabole, sed diabolissime; non Satana, sed Satanissime; ô, si quid omninò dici peius potest! Sed vt eo tamen nomine te vocem, quod ipse tibi indidisti, Dic, ô Dæmon, quis Lucifer te emisit ex inferis, vt tantis agitatus furiis in virum tam pium, tam bonum adeò impiè, adeò scelestè, malignitérque debacchareris? Quis tibi, Cerbere immanis, truculentéque, catenam soluit, vt orre trifauci triplicem hanc rabiei spumam in virum innoxium vno impulsu conuomeres? Quis implantauit capiti tuo trium furiarum colubros, quorum venenatissimas linguas in virum longè optimum scelestissimus intentares? *Primam contra Deum? secundam contra Ecclesiam?* & putasti infandissime, execrandissiméque Mortalium, posse te istud ferre

ferre impunè? & quia ille procùl quiescit, finítque te ipsum tuum cor vellicare, & corrodere; cogitasti neminem fore, qui interesse humanæ societatis existimaret, in te animaduertere, & tantam pestem, tantam perniciem, quantam te præbes coërcere? An quia naturâ maledicus es, nemóque est, cui non tuam illam viperinam linguam datâ operâ feceris perspectam; sperasti fore neminem, qui, maledicentiæ huius tuæ metu, auderet eam perstringere; auderet in te inuehi? Scito infœlix! illud de te prolatum vaticinium fuisse: *dilexisti maledictionem, & veniet tibi: noluisti benedictionem, & elongabitur à te.* Non id minus certè, atque illud: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua; sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam supra benignitatem; iniquitatem magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Dominus destruet te in finem, euellet te, & eradicabit te de tabernaculo tuo; & radicem tuam de terra viuentium.* ô Morine infamis! *Primam contra Deum?* Ecquis studiosior illo est, vt vera de Deo sentiantur? Quid dicendum habes ad ea, quæ de notitia existentiæ Dei; de forma, qua noscitur Deus; de perfectionibus Dei, adeò præclarè edisseruit? Ecquis pressiùs, animosiusque vindicauit Deo productionem mundi, aut rerum prouidentiam? Quis Deo cecinit augustiorem hymnum, quàm, quem ipse ex partium in animalibus vsu texuit? Quamquam omnia quid persequar? cùm adeò vehementem, ardentemque se, quoties de Deo, rebusque diuinis & ad Religionem spectantibus agitur, præbeat, vt videri possit non sine impulsu diuino ad scribendum se conuertisse! Tu ista omnia dissimulas; & ex non intellecta illius vna interpretatione selecta, facere fucum satagis, vt insinues ipsum nihil non falsum de Deo sentire. Sed abi in rem malam, dæmon, postquàm audieris cætera. Rem ipsam interim peruideamus.

DE FALSITATE PRIMA, *circà Æternitatem.*

DE prima, quam malignè fingis, affingisque falsitate, hæc habes. *Gassendus pagina 625. sua Epicurea Philosophia, negare volens aternitatem esse durationem totam simul, & sine fluxu, aut successione, vt hoc audaciùs efficiat, boni Catholici fuco sibi pracauet, vt ex sequentibus verbis eius conijcere licet atque ait. Sanè si quodpiam*, &c. En verò malignissimè, malitiosissiméque impostor, quàm citò manifestam facias peruersissimam praui, damnatique animi tui peruersitatem. Ille vt modestus, timoratúsque est, nihilque non iudicio Ecclesiæ, sapientiorúmque subijcit, testatus est ingenuè se vale dicturum huic suæ de æternitate interpretationi, si fortè Ecclesia illam improbauerit, aut Doctores, qui rem acutiùs quàm ipse, perspexerint, hallucinationem monstrârint. Quippe non videre se quidem, aut improbari rem ab Ecclesia, aut sacros Doctores habere, cur intolerabilem eam ducant; sed quia tamen falli se posse agnoscit, exspectare id, cui acquiescat iudicium, ac intereà quibus rationibus ad eam inducatur sententiam, paucis declarare. Tu frendens præ rabie, quod ingenua confessio obstaculo sit, ne quantum velles efferascas, celare non potes, quàm deprauato stomacho sis, qui bonum quodque alimentum in vitiosum chylum illicò corrumpas. *Vt hoc audaciùs efficiat*; Petulans Morine, imò tu audacissimus atque impudentissimus, qui modestiam ipsissimam ita malignè interpretaris. *Boni Catholici fuco sibi pracauet?* Ecquis præter te alius diabolus tam malignè calumniaretur? Aut quis esse poterit tutus à tuæ linguæ aculeo, ô Viperarum genimen! si quorum tam est ingenua loquutio, tam sinistrè, tam obliquè, tam dolosè à te impetantur? Quæ tam candida innocentia est, qua tu ô lolligo, ô sepia, inficere hoc tuo attramento teterrimo, infectissimóque non possis? Quæ tam munda oratio, quam tu ô im-

mundum, & ex volutabro luti animal, tuo conspurcare attactu non possis? O quàm cauere à te debeant viri omnes boni, ac ingenui! Quàm te habere sepositum, vt dira peste percussum debeant, qui nihil tam sanum contingere, halitu-ve tuo afflare, vt noxam statim non persentiat, potes? Quàm mereris, vt publici Censores *in chamo, & freno maxillas tuas constringant, vt non approximes ad eos*, ac vniuersè ad omnes bonos; ne bonæ ac integræ eorum famæ tuos illos dentes rabiosos infigas? Sed audire præstat virum optimum, eo ipso, quem tu detorques, ac deprauas loco: *Sanè si quodpiam Religionis placitum prohibuerit, absit tueri id velimus; at nisi quid obstet, quid necesse est crucem ingenio figere, vt rem capiat fugientem captum? Ecquis enim est adeò solers, qui intelligere possit durare rem aliquam, & hanc illius durationem esse instar puncti, ac sine vlla quasi fusione, & continuatione ab vno momento in aliud per momenta intermedia? facile quidem est cogitatu, rem ipsam durantem esse totam simul, hoc est, cum suis partibus, perfectionibusque immutatam perseuerare; at in hac perseueratione non esse multiplex Nunc, seu multa instantia, ex quibus inter se collatis, aliud sit prius, aliud posterius: cadere posse in mentem non video.*

Verùm vt res paulò altiùs repetatur; cùm videret eximius vir opinionem illam, quòd æternitas duratio *tota simùl* sit, non tam iuxta Sacram Scripturam defendi, vt referetur posteriùs, quàm quod schola post D. Thomam illam ex Boëtio desumptam tritam fecerit; animaduertit primò Boëtium non dixisse *Durationem*, sed *possessionem* totam simul; ac deinde agnouit ne sic fuisse quidem loquutum Boëtium ex Scripturæ authoritate; Sed ex Platonis dogmate, & consultis tandem Platone, ac Platonicis deprehendit Platonem id desumpsisse ex Timæo Locro, qui id hausisset ex Ægyptiis, & ab ipso quidem Trismegisto vsque, vt proinde videas quibus authoribus inniti Hunc de *Duratione simultanea* fidei articulum velis. Quamquam ne illi quidem vnquam durationem (vti & de Boëtio fuit adnotatum) dixerunt; sed ea ratione loquuti sunt, vt manifestum fecerint, se non *durationem* æternam, seu abstractè æternitatem, sed rei æter-

næ *ſubſtantiam* intelligere, cùm eam dixerunt *totam ſimùl.* Verùm præſtat vt ipſemet Gaſſendus rem deducat, audire. Poſtquàm igitur Boëtianam illam definitionem retulit, *æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimùl & perfecta poſſeſſio*; tum conſideranda duo eſſe dicit, *Vnum eſt*, inquit, *Platonem, quem aliqui Patres imitati ſunt, & ex cuius Timæo Boëtius definitionem illam deſumpſit, æternitatem accepiſſe non abſtractè, ſeu præcisè pro durationis ſpecie, ſed concretè, ſeu pro re æterna, diuina nempè ſubſtantia, quam aliàs facit animam mundi. Ita declarat non ſemel Plotinus, ac tum quoque inſinuat, cùm non modò, τὸν Αἰῶνα, Æternitatem deduci ait, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὄντος, ab eo, quòd ſemper eſt; ſed etiam dicit non aliud eſſe, τὸ ὄν, quod eſt, & aliud, τὸ ἀεὶ ὄν, quod ſemper eſt. Plato quoque ipſe voces, Fuit, ac, Erit, conferri cenſet iniuriâ non tam in æternitatem, ſeu durationem præcisè ſpectatam, quàm ἐπὶ τὴν αἰώνιον οὐσίαν, in æternam ſubſtantiam. Alterum eſt cum Plato præteritum & futurum negat, concedit verò ſolùm præſens, ſeu vocem, eſt, æternæ ſubſtantiæ, illum eo fine id facere, ne cum dixerimus, fuit, intelligatur amplius non eſſe; vt cum dicitur, fuit Ilium: & ne, cum dixerimus, erit, ſignificetur nondum eſſe, vt cum dicitur, alter erit tum Tiphys, aliàque id genus ſimilia; ſed non, ne poſſimus reuerà dicere, fuit; modò intelligamus eandem omninò iam perſeuerare, quæ anteà ſemper fuerit; itémque, Erit; modò intelligamus talem ab æuo, ac etiam-num eſſe, qualis eſt perpetuò futura. Quippe hoc tantum Plato cauet, vt mutationes, quæ cadere in res generabileis, corruptibileiſque ſolent, ab ente æterno, ſeu Deo arceantur; vtque illum non habeamus, οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον, neque ſeniorem, neque iuniorem. Nempè ne talis intelligatur, qui aliquas vireis, aut ſenior iam amiſerit, aut iunior nondum acceperit. Cenſet proindè illi propriè conuenire ipſum, eſt; quia ſemper idem prorſus eſt, ſeu eaſdem ſemper doteis habet; neque vllum momentum eſt in amplitudine tota infiniti temporis, in quo dicere liceat. Ecce iam habet aliquid, quod pridem non habuerit, aut habiturus olim non ſit: vel non habet iam aliquid, quod aliquandò habuerit, aut aliquandò ſit habiturus: Sed habet ſimùl quouis momento quidquid in toto ſimùl tempore; cùm ipſi temporis progreſſus nihil adijciat, aut detrahat (vt fa-*

cit in cæteris rebus, quæ mutationi obnoxiæ sunt) ac proindè iure dicatur Platoni ἔχον ἀκινήτως, habens se immobiliter; & vt Plotinus, βεβαίως ἐν ζωῇ, constanter in vita. Quamobrem & dico, cùm æternitas dicitur esse quidpiam totum simul; vel successione, aut fluxu carens; describi tunc illam, non vt est Duratio, sed quatenus est diuina substantia, vt ex Platone iam visum est; vel vita illius, vt cum à Plotino definitur vita interminata; quòd tota sit (intellige simul) nihilque amittat, &c. vel huiusce vitæ interminatæ possessio, vt à Boëtio expressum est. Et vides profectò, vt cùm genus in his definitionibus debuisset esse duratio; aliud longè sit vsurpatum. Sed magnis videlicet viris satis fuit indicare causam, cur diuina Essentia duratione æterna duret, esse, quòd immutabilis sit, quodque quidquid possidet, illud inamissibiliter possideat.

Pluribus deinde interpositis, *videamus*, inquit, *quid mali sit non imitari Platonicos, si fecisse eos quidem putes æternitatem totam simul & sine fluxu, aut successione, durationem.* Ac tum ea protestatione, quam tu retulisti subiecta, sic pergit; *Non video etiam, quomodo non benè dicatur Deus fuit tempore primi hominis; & Deus erit tempore postremi. Quomodo non meliùs dicamus, Deus olim condidit mundum, & olim reparabit mundum; quàm condit, & reparat iam.* Et quia responsiones aliquas præoccupaturus, pergit, *Dicunt has phrases ideò admitti, quòd æternitas nostro tempori coexistat; verùm quomodo explicabunt modum huius coexsistentiæ? Tam enim fieri non potest, vt instans, seu quod successione caret, coexsistat rei successiua, quàm impossibile est punctum, seu quod longitudine caret, coexsistere lineæ. Pergunt: instans æternitatis eius esse eminentiæ, vt tempori, quantumuis successiuo æquiualere valeat. Sed require modum huius eminentiæ, æquiualentiæque; ac tum aut lusus erit merus non intellectorum verborum; ac petitio mera principij, aut colligetur eadem instantia esse in æternitate, quæ in nostro tempore, sed cum ea eminentia, vt æternitas plura alia infinitè contineat. Quàm foret satius dicere, coexsistere nos Deo, seu durare parte aliquantula durationis, quâ durat Deus? Nempè, dum sumus, non duas distinctas durationes imaginamur,*

verùm vnicam, quæ respectu naturæ nostræ, quæ cœpit, & labitur; ac desitura tandem est, designabileis terminos contineat, respectu tamen diuinæ naturæ, quæ nec cœpit esse, nec mutatur, nec cessare potest, diffusionem ante, & post nos illimitatam habeat. Quia, inquam, sic pergit; tu quasi interrumpens, *dumque dicitur*, inquis, *à Doctoribus Catholicis æternitatem tempori nostro coexsistere, respondet adhùc audaciùs, tam fieri non potest, vt instans, seu quod successione caret*, &c. Et mox, *Quanto foret satiùs dicere nos Deo coexsistere*, &c. Sed infœlix Morine! hîc tace, & ne vt anser inter olores strepe. Et ipse quoque Gassendus Deo bene propitio Catholicus est Doctor, & bene illi conueniet cum Doctoribus cæteris, absque eo, quo tu te illis immisceas, & insigni malignitate, quasi inimicus Euangelij homo tentes zizania serere. Tu Gassendum videri vis audaciùs sese efferentem? cum illi tamen satis agnoscant, quàm non ille se efferat audacter, sed potiùs quàm tu insolenter, bestia impudens! efferaris; sed Gassendum pergentem audiamus; *Vrgent*, inquit, *similitudines arboris in alueo, centri in circulo; axis in Sphæra, & similium: Quasi non potiùs res ipsa æterna, quàm æternitas comparanda sit cum rebus immobilibus, vt illa ad successionem æternitatis non moueatur, quemadmodum non mouetur arbor, dum aqua præterlabitur; & non sit idem semper esse immutabile per totum cursum æternitatis, vti est centrum in descriptione circumferentiæ, & ita de aliis? Huc apprimè facit, quo habet scriptura, mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Nempe anni Deo tribuuntur; at non mutationes substantiæ; adeo vt, cùm anni nostri breui effluant, duratio eius sit inexhausta. Ex quo fit, vt cùm etiam mille anni nostri diuinæ vitæ dies vnus dicuntur, sit figurata solùm loquutio. Vita quippè Hemerobiorum ad nostram collata proportionem aliquam habet; at nostra etiam longissima ad diuinam comparata nulla omninò proportio est. Vndè præclarè notat Plutarchus nihil esse discriminis inter breue, & longum tempus respectu æternitatis; cum ex Simonidis sententia, seu mille, seu bis mille anni sint infiniti temporis punctum, aut potiùs puncti minima pars.*

En porrò, vt & subindè occurrat præcipuis obiectionibus, quæ fieri à Sacris Doctoribus solent: *Obÿcitur*, inquit, *Scriptura, in qua Præsens tribuatur Deo, vt quid maximè proprium; exempli gratiâ, verbis illis, Ego sum, qui sum; &, Qui est, misit me ad vos. Verùm, vt prætercam hebraicum textum eo loci exprimere non Præsens sanè, sed Futurum tempus.* אהיה אשר אהיה *Ero, qui Ero: &,* אהיה שלחני אליכם *Ero (seu manens, qui erit) misit me ad vos: Nonne alia habemus loca, in quibus tam Futurum & Præteritum, quàm Præsens Deo vt propria tribuuntur? In Apocalypsi certè describitur* ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος *Qui est, & Qui erat; & Qui venturus est. Vt taceam Deum ipsum paßim enunciare multa, non quæ faciat iam, sed quæ fecerit, aut facturus sit. Neque verò heinc sequitur, quod vulgò etiam obÿci videas, Non fore Deo omnia præsentia, obiectiuè intellige. Siquidem res multæ in se vel fuerunt, vel erunt: at quia Deus nec præteritorum obliuione laborat, nec futurorum turbatur caligine: sed omnia distinctißimè semper intuetur: ideò dicimus esse semper omnia eius intellectui præsentia. Neque enim modò hæc, modò illa succedenter ac hominum instar cognoscit; sed simul, eodemque momento cognoscit quidquid vnquam potuit, poterítque cognoscere. Quare & nihil est, quòd putes loca illa officere; Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius; &, vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; & quæcunque his citantur similia. Obÿciuntur rursus Patres aliqui, vti Augustinus, Nanzianzenus, Damascenus, qui fuisse negent tempus ante Mundum, cùm tamen esset Deus in Æternitate subsistens; ac nominatim D. Augustinus, qui in locum illum: Ego hodie genui te, voce ipsa, Hodie, designare arguit, Præsentiarium statum, quod Boetianum quoque vocabulum est. Verùm hisce Patribus opponere licet Basilium, Ambrosium, Hieronymum, alios, qui & tempus & sæcula ante Mundum fuisse agnoscunt. Tametsi dici quoque potest, priores illos negasse solùm fuisse ante Mundum eiusmodi tempus, quod Plato & Aristoteles describunt, vt quidpiam à motu dependens. Sanè & dum alioquin dicunt non fuisse aliquando tempus, hoc ipso tempus fuisse declarant: perinde est enim, ac si dicerent Tempus fuisse, cùm non esset tempus. Sic diuo etiam Augustino opponi nominatim posset B. ille Gela-*

ſius, qui in actis Concilij Nicæni, Æternitatem voluit deſignar ipſa voce, erat, circa illud, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, *In principio erat Verbum; Quanquam D. quoque Auguſtinus explicari poteſt iuxta ea, quæ prædicta ſunt; Perſpicuè enim in eodem loco, Æternitas, inquit, eſt Dei ſubſtantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit; nihil eſt futurum, quaſi nondùm ſit; ſed non eſt ibi, niſi eſt. Obijciunt demùm non fore Deum igitur immutabilem, neque corruptionis expertem, probante præſertim Ariſtotele tempus, ſeu eam durationem, quæ habet prius, & poſterius, corruptionis cauſam eſſe. Enim-verò ex dictis conſequitur potiùs vt Deus probetur immutabilis, incorruptibiliſque omninò; vt putà qui naturæ ſit adeò conſtantis, & perfectæ, vt æternitate, ſeu tempore perpetuò fluente nihil penitus innouationis in ſe admittat. Et certè ipſa temporis, ſiue durationis ſucceſſio non eſt, quæ corruptionem inducit: Sed imbecillitas natiua, & agens contrarium à quo res deſtruuntur. Deus autem neque eſt infirmus, neque aduerſum aliquid timet. Ariſtoteles verò illeic loci loquitur planè populi more; nam vulgus quoque vnà cum Poëtis appellat tempus, edax rerum; cùm certum ſit tempus non habere denteis, vt neque habet falcem, quam Saturno tribuunt, dum* Κρόνον καὶ χρόνον *Saturnum, & tempus pro eadem re habent; ſiquidem tempus nec deuorat, nec demetit quicquam; ſed corrumpentes cauſæ ſunt, quæ procedente tempore, tum labefactant, tum diſſipant omnia.* Atque hæc quidem ille.

Tu verò, Sceleſte, ſubticens hæc omnia, ne quæ mens foret optimi Viri Lectori innoteſceret, hæc potiùs verba ſubdidiſti. *Quod autem doctrina hæc ſit hæretica probat primò.* Siſte hîc gradum, Nefande impoſtor! ac age, effare; vndenam habes hanc Gaſſendi Doctrinam hæreticam eſſe? Ideóne iam antè in illum agens Ignis Atomos cauſabare, vt quia hæreticæ Doctrinæ defenſor igne dignus eſt, illeic quidem pœnam intentares hæreſeos, heic verò reatum eſſe demonſtrares? Et ſi calumniator pœna dignus eſt, quam non ſtat per ipſum quin immerenti viro procuret: Quis iuſtiùs te viuus cremetur, calumnioſiſſime diabole? *Hæretica eſt?* Et quo iure id dicis? Qua authoritate fretus id pronuncias? Tu-nè Eccleſia

Ecclesia; tu-ne Concilium? tu-nè Summus Pontifex? tu-nè Episcopus? tu-nè fidei Inquisitor? Tu-ne facultas Theologica? Tu-ne Doctor Theologus? tu-ne Theologiæ candidatus? tu-ne vel iuris Canonici auditor? Medice miserabilis! astrologaster miserabilior! ecquo teneris fascino, vt sedere te pro tribunali reputans, Dei ac illorum, quibus solis hanc tribuit authoritatem,& iurisdictionem, munus vsurpes? vt, homo profanissimus, functionem sacratissimam impudenter attrectes? An-non proindè tu is sis, cui Deus iure hæc exprobet? *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti & tacui. Existimasti, Inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Commentatione hæc non indigent, vt tibi ipsi dicta putentur; cùm &, si quid dictum videatur obscuriùs, id tui illi parietes apud Morfondutos loquantur. Non credebas posse tibi hæc objici? Sed quid-ni tibi vera opponamus, qui falsa sic deblateres? Si grauia hæc sunt, quæ referimus; agnosce te grauiora intulisse. Ecquid enim grauius obijcere possis homini Christiano, Religionem amanti, pietatem colenti, tetro hæreseos crimine? Sed ad rem vt redeam; *Gassendi Doctrina hæretica est?* Vnde nam, nefande, id habes? An habes locum sacræ scripturæ, cui ea Doctrina aduersetur? Verbum ex scriptura nec minimum afferes? Et quomodo afferres, qui Biblia non legis, sed solos tuos Almansoras, Albumazaras, Abenrageles, Cosacharamos, & id genus Astrologos. An Canonem habes cuiuspiam Concilij? Ex Conciliis ne gris quidem; cùm & alia non noueris, quàm tua illa iam insinuata conciliabula clandestina. An decretum habes Pontificis summi? Et ne ex hoc quidem genere citas aliquid; cùm & nihili habeas Pontificem summum, ex quo tibi in manum illa SEXTI V. BVLLA incidit, quâ Astrologia judiciaria damnatur. An consensum habes Patrum & Do-

ctorum? Nę & ex hoc demùm capite profers aliquid. Vndè igitur habes, nefande, Doctrinam esse hæreticam? Nempe ex duabus ratiunculis, quas ex tuo Inani cerebro deducis, DEVM IMMORTALEM! Et, si hoc solùm sufficit ad conuincendum aliquam opinionem hæreseos, si Sacrâ Scripturâ, Conciliis, Pontifice summo, Patribus, & Doctoribus sepositis, & inconsultis, solum Morini cerebellum Sacræ fidei norma est; quo se ergo statu Christiana Religio; quo se modo res Christianorum habent? Sed age, nefande, age homo furens audaciâ, & qui tantum iuris tibi arrogas; age, effare, quomodo ergo probas Doctrinam hanc hæreticam esse?

Probatur primò, inquis, *Quia Deum subijcit accidenti: sic enim Deo noua subindè accident durationis momenta, rectéque dicetur illum nondùm esse in momento, vel instanti futuro: nec amplius esse in Præterito: indéque multa deducentur Christianæ fidei contraria.* Prima igitur tua hæc est ratio; neque enim plura de ipsa habes. ô rationem dignam, quæ vniuersas Scholas, vniuersos Prælatos, vniuersam Ecclesiam ad Doctrinam huiusmodi hæreticam decernendam permoueat! Verùm ô Impostor! quamobrem imprimis id dissimulasti, quod Gassendus paginâ 613 explicitè docuit, Durationem accidens non esse? Scilicet tam tempus, quàm locum iniuriâ referri ad Categoriam Quantitatis, ac esse omninô extra omnium tam substantiarum, quàm Accidentium classes. Id quomodo ille exposuerit commemorare heic longum foret; at se nihilominùs sic res habet, neque tu potuisti sine impostura inferre ex eius Doctrina, quòd *Deum subijceret accidenti*; quatenus *noua Durationis momenta Deo subinde accident:* quandò ille expresse negauit tam durationem, quàm omnia eius momenta accidentia esse. Deindè; Esto accidens: ecquid nihilominùs, ô infœlix, te edisserendis his rebus impudenter immisces; ignarus eorum, ob quæ tyrones Theologicæ Scholæ te exsibilent; quòd facta tibi propriæ eruditionis opinione, consulere ipsos non sustineas, vt quî ista sint accipienda addiscas? Audisti aliquando, opinor, nulla in Deo esse accidentia; at non audisti distinctiones, quibus

pulpita passim resonant. cùm obijcientibus, esse in Deo, quę similia in nobis accidentia sunt; in promptu est, responsio, esse illa solùm in Deo denominationes extrinsecas, relationés-ve seu Entia rationis; ad eum modum, quo esse dextrum, sinistrúmve in pariete, cui latus animal's dextrum, sinistrúmue obijcitur, non reale quodpiam est accidens, sed extrinseca solùm, seu à re extra ipsam sumptâ; factáque denominatio. Hac ratione videlicet, cùm actio, qua aliqua res ab homine, aut alio creato agente producitur, sit in illo accidens, & ipsam relatio causæ consequatur, quæ ipsa quoque accidens sit; Neque tamen actio, qua Deus, exempli causâ, creat Mundum, neque relatio Creatoris, quę ipsam consequitur, reale est accidens, quod Deo adueniat, sed merè externa denominatio, rationísque relatio; Vnde & Deus nihil reale de nouo acquirit. Fac igitur Deo aduenire noua durationis momenta; illa non secùs aduenient ipsi, quàm & actiones, & relationes, quas ipsi omnibus momentis concipimus accidere; cùm tamen vt hæc non sunt ipsi accidentia realia, sic neque illa omninô sint. Vnde & Deus nulli reali accidenti subijcitur, neque vllum est incommodum dicere Deum potiùs fuisse, quàm esse iam eo momento, quo creauit Mundum; aut fore potiùs quàm esse iam, eo momento, quo iudicabit Mundum; neque insuper vlla exinde *deducentur incommoda Christianæ fidei contraria*; vt tu, scelleste, blateras, qui & nulla habuisti, quæ commemorares; vt ea profectò oblitus non fuisses, si tibi aliqua occurrissent. Sed nempe hoc es dixisse contentus; quòd authoritate decernendi aliquid circa fidem temerè assumpta, reputaris te eâ tantùm valere, vt credere tibi deberet non-nemo, ac persuaderi *multa* hinc *deduci Christianæ fidei contraria*; quia tu, Morinus, id diceres. Itaque prima tua Ratio tuæ soli ignorantiæ, temeritati, impudentiæ innixa chimærica est, futilissimáque, & digna ob quam pœnas luas. Accedamus ad alteram.

Secundò, inquis, *de fide est, quod solus Deus est æternus; ideòque sola est Dei æternitas, & non alia: imò impossibile est duas esse æternitates, siuè durationes infinitas: alioquin quoniàm du-*

ratio est alicuius rei duratio, darentur duo æterna, nec solus Deus esset æternus. Iam verò Deus ob suæ essentiæ simplicitatem simplissimam est non solùm æternus, sed est sua æternitas, siue duratio infinita: non enim æternitas minor est perfectio Dei, quàm bonitas, Sapientia, Virtus, &c. Quàm grauiter anhelas, Morine, vt ista parturias? Est verò hoc totum tibi antecedens, cuius summa est, *Deus solus est æternus, & sua æternitas*: Consequens videamus, *Qui igitur dicit æternitatem esse in partes diuisibilem, & patrem mortuum durasse vnâ particulâ durationis Dei, filium verò succedentem alterâ particula, is indubiè facit Deum in partis diuisibilem, quod est hæreticum.* Hæc igitur tibi est secunda ratio: ô illam dignam, quam exosculetur Vniuersa Ecclesia, & ob quam hæreseos Gassendum condemnet! Sed ô brutum æquè, ac malignum Pecus! ecquid tibi tantum ex tam deplorato ratiocinio polliceris, & arrogas? Dissimulas heic rursùs omnia à Gassendo in hanc rem deducta, & ex quibus euincitur, æternitatem, quæ est ipse Deus, ipsam esse Dei substantiam, quæ vt habet quoque diuus Augustinus, nihil habet mutabile, nihil præteritum, quasi iam non sit, nihil-vè futurum, quasi nondùm sit; non autem esse illam imaginariam durationem, quæ in continuo fluxu est, & præteritum, ac futurum habet. Nempè Æternitas, quæ est Deus, eo modo se ad durationem fluentem habet, quo Immensitas, quæ est ipse Deus ad locum extensum dimensionibus-vè constantem. Vt enim Deus non est talis, locus; sed hoc nihilominùs habet à suæ naturæ immensitate, perfectioné-ve illimitatâ, vt nullus sit locus, nullúm-ve spatium imaginarium in quo non exsistat, seu degat, & cuius etiam occasione, sed tamen extrinsecè extrinsecá-ve denominatione, dicatur immensus; Ita neque Deus talis est duratio; sed hoc habet tamen à suæ naturæ æternitate, perfectioné ve illimitatâ, vt nulla sit duratio, nullúm-ve tempus imaginarium, in quo non exsistat, seu duret; & cuius rursùs occasione dici non possit extrinsecè, denominationé-ve extrinseca æternus. Vnde & quemadmodum dicimus Deum esse suam immensitatem, nè quis imaginetur Dei perfectiones sic esse diuisas, vt vnam vno

loco, & aliam alio habeat, concipiat vero potiùs quidquid Deus perfectionis in vno loco habet, habere ipsum illud in omnibus aliis, seu vbilibet; ac esse adeò totum vbique simul; pari ratione dicimus Deum esse suam æternitatem, ne quis rursùs imaginetur Dei perfectiones sic esse diuisas, vt vnam vno, aliam alio tempore habeat; concipiat autem potiùs quidquid Deus perfectionis habet vno tempore, habere ipsum illud alio quolibet, ac esse idcircò semper totum simùl. Ista sunt, quæ fusiùs Gassendus deduxit, & ex quibus benè intelligitur, quomodo æternitas sit *interminabilis vitæ tota simùl & perfecta possessio.* Tu verò id totum dissimulans, aut potiùs non intelligens, puerilem, imò plusquàm puerilem difficultatem obijcis, & ob quam Theologiæ tyrones te procùl à Scholę limine arcerent. *Quia Deus est æternus, & sua ipsius æternitas; ergo qui dicit patrem durasse vnâ particula durationis Dei, & succedentem filium altera, diuidit sicut durationem sic Deum, in duas particulas, ac idcircò Deum diuisibilem facit.* Quasi verò cùm Deus dicitur sua æternitas hoc intelligatur de duratione illa quasi extrinseca, quæ & ipsa tamen soli Deo competit, quatenùs solus secundùm totam illius extensionem durat, hoc est principio & fine caret; cùm res cæteræ aliqua dumtaxat illius particula durent; & non potiùs de perfecta illa, & interminabili, ac tota simùl possessione mox exposita; eo modo, quo, cùm dicitur Deus esse sua immensitas, hoc non intelligitur de loco illo, seu spatio quasi extrinseco, quod & ipsum tamen soli Deo competit, quatenùs solus secundùm totam illius diffusionem degit, hoc est omni limite caret, & in cuius solum particulis aliquibus res cæteræ degunt; verùm de illa perfecta, interminabili, ac tota simùl possessione, quę declarata quoque mox est. Vnde & dum concludis: *Quia pater & filius durant duabus particulis durationis Dei, consequi, vt Deus, qui vtraque particula durat, diuisus in duas particulas sit;* perindè facis, ac si diceres; Quia pater est in vna particula loci, & filius in alia, consequi vt Deus, qui in vtraque particula est, diuisus sit in particulas duas. I ergo, temerarie, & decoque illam intolerabilem pręsumptionem, qua tantoperè intumescis, vt pu-

tes tibi omnia licere, & serium, solidúmque nihil in re vlla intelligens, videri vis tamen omnia intelligere, & de nulla non re gestis aliquid effutire. Ac fortè quidem tua hęc proteruia videri posset quomodocúmque in cœteris rebus tolerabilis; hoc enim verti, attribuíque soli temeritati posset: at mittere etiam manum ad Sacrarium, cum adeò profanus, nusquamque initiatus sis; hoc iam est sacrilegium, ac scelus non modò intra scholę cancellos flagris, verum etiam ferro, flammáque expiandum in propatulo; ac tantò magis, quantò ex his tuis ratiociniunculis nihili, conflas, imputásque viro innocenti, & tot nominibus te meliori; qui nihil Christiani pręter nomen habes. Conflas, inquam, ac imputas bellâ illâ tuâ conclusione, *Quod est hæreticum* tetrum illud crimen hæreseos, quod fuerit ferro, flammáque expiandum. Addis, homo ridicule! *Quòd autem hæc vera æternitas fugiat captum maximi Gassendi, quid mirum? nunquid temerè nimis præsumit se capere posse infinitum, qualis est ipsa æternitas, hoc est Deum, qui est à quauis creatura incomprehensibilis?* Sed I fatue, ac depone ipse tuam illam insanam temeritatem, ac pręsumptionem: & disce, si potes, id ipsum, quod dicis, vel pro tyronis captu intelligere ac tum qualis sit ille vir tecum collatus, edisseremus.

DE FALSITATE SECVNDA circà Astrologiam. Vbi & falsa Morini prædictio ter euulgata exagitatur.

IAm vt de secundâ falsitate dicam, quam etiam sic falsò, malignéque fingis, affingisque vt in conclusione tandem id, quod dixi, euadas, hoc est, Dęmonissimus, diabolissimus, satanissimusque. Sed à pręfatione exordiamur; *Gassendus*, inquis, *in sua Philosophia Epicurea à pagina 910. ad 978. debacchando, mordendo, cauillando quæstiumculis plusquam mille inanibus nugando, variisque modis alius irruit in Astrologiam indiciariam, adinstar Pici Mirandulani, Alexan-*

dri de Angelis, Sixti ab Hemminga, & aliorum, qui facem ipsi huius diuinæ scientiæ æque ignaro prætulere. Hic autem non hæreo eius telis straminets obtundendis: nostra enim Astrologia Gallica similes tenebras solis instar dissipat, vt patebit quam primùm in lucem edetur: sed dumtaxàt referam, quâ fronte Authoritatem Ecclesiæ illuserit, & quid ipsi imponat.

Quâ prouidentiâ factum dicam, ô rerum bonarum inanissimè, futilissiméque Morine! vt vltrò mihi præbueris ansam, quam captare ab aliquot elapsis mensibus gestiebam (neque ego solus, sed multi etiam alij, quibus veritas cordi est) vt propalarem, scilicet mendaciloquium illud insigne, quô in æternum opprobrium tuæ damnatæ Astrologiæ ausus es securè atque impudenter prędicere ter, & publicis etiam scriptis euulgare *Gassendum mortali morbo laboraturum, & vim morbi extremam, ex qua deberet eius mors consequi futuram in ipsomet Iulij, Augustique confinio superioris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi.* Neque verò tu inconsultè, aut falsitatem hanc delegisti, aut præfationem hanc præmisisti; fecisti enim illorum more, qui alicuius culpæ sibi conscij insurgunt priores, inclamantque in eos, qui obiicere sibi culpam possunt, vt illos suis clamoribus, imposturisque quasi obruentes, aut cogant obmutescere, ipsique interim culpâ immunes appareant, aut saltem pręstent, vt cùm illi crimina vera regerent, nihil aliud, quàm recriminari, & vindictæ causâ facere videantur. Scilicet putasti te facere fucum dum tantâ istâ tuâ in hac præfatione audaciâ in Gassendum declamitans existimasti neminem fore, qui putaret potuisse te, & de tua Astrologia, & de Gassendo tam securè loqui, si tibi alicuius culpæ, quæ ad tuam Astrologiam, Gassendúmque attineret esses conscius; ac fore adeò neminem, qui non ista tua loquacitate obrutus, non sileret, aut certè loquens recriminari videretur. Callidè proindè inseruisti & Pici Mirandulani, & Sixti ab Hemminga mentionem; quorum nempè in primâ tuâ prædictione memineras, futurum dicens, vt tua Astrologia Gassendum cum illis in triumphum duceret; ratus, te ista iam efferente, neminem sibi persuasurum esse te in re quapiam tibi

conſcium, qui ſingularem hanc circunſtantiam minimè fa-
ceres omiſſam. Sed ô veterator! notæ tuæ artes, teſtorque
factam hanc à te magnorum virorum mentionem ſubinnuiſ-
ſe mihi, qua affectatione ita præfareris, ac feciſſe anſam,
quam, ſicut præmiſi, captare iam pridem geſtiebam.

Atque vt ab occaſione tuæ primæ prædictionis exordiar, ſcripſerat D. Gaſſendus in ſua aduersùs tuas Alas Apologia (& Ioſephum quidem Galterium amicum optimum alloquens) in hunc modum: *Meminiſti porrò tu ipſe, quid illi* (hoc eſt Morino) *ſæpius obieceris, cum ſcientiæ huiuſcemodi* (Aſtrologiæ nempe iudiciariæ) *futilitatem exaggerares. Quid ego, nihil attinet: ſed memorare vnum hîc iuuat, quod cùm ad noſtrum Valeſium ſuo tempore perſcripſerim, neſcio quomodo tibi quoque ſignificare fuerim oblitus. Autumnus erat ſuperior, cùm commendante illo ſuarum prædictionum fœlicitatem, & obijciente non aliam ob cauſam rideri à me Aſtrologiam, quàm quòd bonas horas in erigendis Thematibus, ferendiſque iudiciis non iuuaret impendere; Excepi, ſatis eſſe mihi ſemel perſpexiſſe artis vanitatem, quam & nihil non in dies confirmaret; ac me abeſſe, vt vellem ampliùs infœliciter adeò rem omnium pretioſiſſimam, tempus ſcilicet collocare. Non diffidere amicitiæ me, cùm ille mihi enarraret ea eueniſſe iis ipſis diebus, quæ optimo Regi euentura prædixerat (& per obſidionem Rupellæ præſertim) quæque pleriſque magnatibus, quorum vni, inter cætera, contigiſſet. Nuptias iis ipſis, quibus præmonuerat, lucalibus contrahere. Peruelle tamen, vt prædiceret aliquando euentum quempiam, cuius me maturè conſcium faceret, vt, ſuccedente poſteà re, habere poſſem pleniorem fidem. Laborare tunc grauiter virum oppidò celebrem, & circa cuius geneſim deſudaſſet quam-maximè. Itaque dici ad aurem poſſe, quo præcisè die eſſe illum occubiturum præmonuiſſet; ſiquidem tametſi res fortè, aut ex Prognoſi Medica, aut ex caſu contingeret; nihilominùs id mihi inſigne, & peritiæ eius, & præſtantiæ artis argumentum fore. Ac tunc ille quidem nihil mihi reſpondit, neque de eo viro ante eius facta quicquam prænunciauit: ſed cùm me poſteà inuiſiſſet per morbum Regis maximi (dies erat Aprilis vigeſima nona) ſe tùm eſſe memorem meæ de qua ampliùs non cogitabam, interpellationis oſtendit.*

dit. Siquidem cùm optimus Princeps per interualla sic laboraret vt nunc agere, nunc egisse animam existimaretur, ac Medici diem extremum illi variè decernerent; accedens ipse, dixit mihi vltrò prorsus, nihilque rogatus, moriturum Regem die Maij octauà. Nam esse quidem ipsi valdè periculosum diem tertium, sed superuicturum tamen dies quinque, quibus superatis, nihil iam superesset. Cùm id ergo vt perillustre obtulisset experimentum, nihil sum moratus rem præstitam valetudine deploratâ, non prosperâ; aut saltem dubiâ, & cùm non potuisset vlla Medicæ prouidentiæ esse suspicio; gratè potiùs illum excepi; ratus præsertim eum tantò minùs debere circà ipsam labi, quantò & caput totius Orbis gloriosissimum, in quo faceret artis suæ periculum, delegerat, & in Themate eius expendendo, plurimum prorsus temporis, studijque collocauerat; & de quo per decursum vitæ singulareis euentorum dies se sic prouidisse memorauerat, vt par esset prorsùs eum nihil in designatione supremi errare. Cæterùm euenit, vt optimus Rex mortem non obierit, nisi die Maij decima quarta, quæ illi omnino fuerat incomperta; meminique, cùm ad Valesium ipsa die octaua sub vesperam scribens, eam prædictionem commemorassem, & paucas superesse horas adiecissem, vt vera-ne fuisset, an falsa deprehenderetur; rescripsisse illum ad me, fuisse ex placitis Morini diem octauum periculosum, fuisse & alios antecedenteis; superesse & consequenteis, vt decimum sextum & decimum septimum; sed nulla tamen interim decimi quarti facta mentione. An-ne igitur specimen suæ artis luculentum præbuit, habuitque vnde mihi deinceps exprobraret cordis duritiem, & circa sua experimenta Astrologica incredulitatem? Quanquam id dictum obiter esto; ac eo solùm fine, vt meliùs agnoscas, quo iure ille etiam nobis diuendere velit suas tantas quisquilias.

Hùc vsque ille. Tu igitur hisce, aliisque irritatus, plurima in illum deblaterasti, referendo varia, quæ eatenùs illi pro figurâ eius natalitiâ, quam expendisses, contigerant; at quia ille adhùc semper obijciebat nullam te vnquam diuinationem, nisi rei præteritæ, siue post euentum sibi exhibere; ideò interesse famæ tuæ ratus, diuinationem aliquam rei futuræ proponere dignum duxisti, vt aliquid de eius morte prænun-

ciares. Verùm quia tibi nondùm satis circà tempus mortis satisfeceras, opinatus solummodò morbum pectoris, quo à duobus annis laboraret, afferre mortis periculum; ideò nihil quidem ausus es præcisè tunc determinare; sed quia sperasti nihilominùs moriturum illum ante editionem tuæ Astrologiæ, quam & feceras iam pridem sperandam, & de qua tamen dicis adhûc quòd edenda quam-primùm sit; ideò, inquam, putasti te præstare magnum aliquid, si destinato in tua Astrologia loco figuris natalitiis *Ioannis Pici Mirandulani*, & *Sixti ab Hemminga*, osorum Astrologiæ, diceres *figuram eius natalitiam eorum figuris adiunctum iri, ac fore in trophæum ipsi Astrologiæ*, atque id quidem in Epistola, quam edens dicasti nobili Galterio Aquensi Consiliario, optimique Iosephi ex fratre nepote, mense Iunio anni 1649.

Sequente Iulio prodiit Responsio à quodam se amicum memorati Galterij dicente, in qua, occasione figuræ Gassendi à te examinatæ, & diiudicatæ, amicus ille cùm plurima obiecit aduersùs Astrologiam, tùm speciatim tibi exprobrauit, quod de futuro nihil definires, sed præteritarum solummodò rerum; quarum euentum aliundè nosses, diuinationem iactitares: ac animi gratiâ scrupulum iniecit, nùm ea, de qua iudicares Gassendi figura, esset suppositititia, quasi ludificandi gratiâ solummodò tibi oblata. Tu aduersùs hanc Responsionem scribens Augusto, aut Septembri insequentibus (neque enim vllum tempus definiisti) nimio iam rubore suffusus, neque amplius patiens tot insultuum, cœpisti studiosiùs expendere figuram; ac tempus, quo ille moriturus esset scrupulosiùs inquirere. Ratus te illud inuenisse, præcautione tamen solita es vsus, præmittendo *Astrorum vim necessitatis fatalis non esse*; ne, si absolutè prædicens euentum, ac esse proinde ineuitabilem innueres, eo præsidio destituereris, quo tibi aliisque eiusdem farinæ mos est eludere Scripturas Sacras, authoritates sanctorum Patrum, & Bullas Pontificias; dicendo eos solùm ab illis damnari, qui prædicunt res tanquam certò & infallibiliter euenturas. Nimirùm vobis satis est, vel digito indicasse tempus, quo euenturum quidquidpiam putatis, cùm ta-

metsi testemini non prædicere, vos rem tanquam infallibiliter euenturam, re tamen succedente, nihil sit prædictionis laudi decessurum; imò vertendum prudentiæ sit, quòd præloquuri sic fueritis, licet de euentu non dubitaretis. Quin Lepidè etiam addidisti, *velle te maiorem habere rationem vitæ Gassendi, quem amicum putares, & cui longiorem vitam optares, quàm tui honoris, si tuo nimirùm admonitu cautior, suam ad incolumnitatem* sic *attenderet*, vt non moreretur. Hisce ergo vsus præcautionibus, prædixisti *illi periculum mortis, & morbo quidem, imminere anno 1650. ac vim morbi & periculi maximam videri tibi cadere sub finem Iulij, & initium Augusti. Vix enim eum posse transigere id tempus, quin in seipso malignas Saturni, & Martis influentias periculosè experiretur.* Et quia tamen subuerebaris ne ob nimiam forte præcautionem adhibitam, videri posses aliquatenùs de tuę prædictionis certitudine hæsitasse, imprimere subindè quasi characterem voluisti, quo, re succedente, patefaceres te nulla reipsâ fuisse hæsitatione; subiecisti videlicet, *Et vertat ille in rem suam meam admonitionem: habeat mihi gratiam si velit, plura non dico.* Et sic quidem tua se habuit prædictio, quâ iam manifestum fecisti, te priorem illam intellexisse generatim de tempore Astronomiæ tuæ Gallicæ editionem antecedente. Pręterea autem, quia reputasses authorem eius responsionis esse memoratum Barancium, idcircò te illum hoc scripto impetiisse: ac ipsum vicissim multa aduersùm te, quę nihil necesse est hîc commemorare, regessisse.

Hæc à vobis dum ageretur, decubuit intereà Gassendus Diniæ totis pene Iunio, ac Iulio, febri laborans, quę & repetitò ipsum inuasit sub medium Augusti. Destinaras ipse ad illum priore febri iam declinante, tuę illius prioris Epistolę exemplum, cum exarato manu epistolio; vnde & cùm per interuallum coepisset rescribere, Responsum absoluit, cùm iam paroxismi posterioris febris forent per Septembrim facti remissiores. Pluribus in eo tecùm egit circà tuam illam Epistolam; speciatim verò conquestus est, quòd pergeres solùm pręteritorum euentuum diuinationem obtrudere; ac

vbi peruenit ad id, quod de sua figura cum figuris illis Pici, & Hemmingę coniungenda pręnunciaueras, sic excepit; *Magno mihi honori vertetur magnis adeò viris, ac potissimùm incomparabili illi Pico, cuius memoria mihi est venerationi, accenseri.* Quo fuerit vitæ exitus, quo fato Sixtus ab Hemminga, *legisse non commemini: quo autem Ioannes Picus Mirandulæ Comes, descripta res est abundè à Ioanne Francisco illius nepote, referente eum mortuum, cùm iam absolueret annum ætatis 32.* idque *nulla facta mentione omnium illarum prædictionum, quæ de eius morte vulgò perhibentur, quásque Astrologi posteriores, vt Bellantius, Pontanus, Gauricus, & alij factas iactarunt multis annis priusquàm illa contingeret; tribus quidem, quorum nomina reticentur vaticinatis moriturum illum anno ætatis 36. & Bellantio, qui aduersùs eum scripsit, gloriato, se illi prænunciasse mortem ad annum* 33. Quæ sit his narratiunculis *fides adhibenda, quiuis cogitet; cum sponsorem non habeant, neque historiæ magni viri authorem, cui pernosse adeò erat promptum omnes illius circunstantias, neque vllum ex grauibus viris contemporaneis, qui id scripserit, imò neque Astrologum vllum, qui fidem possit facere, rem se anticipatò euulgasse: Vtcùmque fabulæ adaugendæ fuerit proditum Ioanni Pico incessisse studium scribendi aduersùs Astrologos, in vindictam prædicti sibi ab Astrologis obitus virore tanto iuuentutis. Prætereo, licet facta fuisse illæ omnes prædictiones concedantur; neque esse tamen eas adeò exactas, vt magno Astrologiæ decori vertantur; neque tales esse, quæ citrà Astrologiam, citráque aliam artem quàm coniecturam simplicem, fieri non potuerint eiusmodi iuueni, qui & delicatæ constitutionis foret, & laboris tam vehementis, tam continentis studij, quàm vel ipsa eius opera testantur. Addo solùm, ad me quod spectat, præsumpsisse fortassis te istam, quæ me tenet pectoris intemperiem, facturam tibi occasionem meum condendi Epitaphium, euulgando scilicet mei tanquam vita functi hominis figuram natalitiam: At fortassis quoque Dei bonitas eiusmodi erit in me, vt quemadmodùm sum annis te iunior, ita temperatis hisce meis incommodis, fieri tibi superstes valeam, ac præcidere tibi ansam mei obitus euulgandi, ac addendi te illum prædixisse. Quod si dicas te non*

audere mihi mortem prædicere, ne si præcisè tempore prænuntiato contingeret, suspicio fieret te ad illam commendandæ tuæ prædictionis gratiâ quidpiam contulisse; aliquod tamen aliud notabile euentum mihi vel semel prædicito; nè, si non facias, ij, quibus innotescet fuisse te à me ad id prouocatum, occasionem habeant ridendi & te, & quas mihi intentasti minas; fore, vt figura mea natalitia in tua Astrologia trophæum aliquando erigatur. Ecce, exempli causâ, corripuêre me duo morbi, alter initio Iunij, alter verò medio Augusti; quanto tibi compendio fuisset, si scribens, & minas euulgans, diuinasses, ac euulgasses me eo ipso, quo scribebas, ac euulgabas tempore, laborare febri; ac fore vt consequenter ad illam, ac memorato tempore reciderem in aliam? Scio quidem te in ista vestrâ Placitorum farragine reperturum debuisse mihi vtramque illam contingere; verùm non facies, nisi postquàm rem aliundè resciueris, cumque non suberit vt rescire illam ex teipso potuisse, videaris. Et sic quidem ille inter cœtera. Tu statim, hoc est mense Octobri illius Responsum frustulatim edens, solitùmque virus ipsi interspergens, circà istud denique caput, prædictionem tuam iterasti, repetendo illam ex tuo aduersùs Barantium, & Neuræum scripto; causandóque, quòd illi te eadem de re interpellassent. Perstitisti ergo in eo, quod iam prædixisses, *Gassendum, ni sibi caueret futurum ex morbo in mortis periculo anno 1650. ac inter mala tempora illius anni plurima, videri tibi vim maximam morbi incidere in finem Iulij, Augustiue Initium. Debere eum tibi habere huiusce admonitionis gratiam, & sibi cauere, quòd non hæreres nè faceret, tametsi palàm pergeret Astrorum influxus ridere; quia euasisset iam ridentior, quàm vt palinodiam vellet canere. Fortassis enim euenturum, vt sibi exactè prospiciens infortunium euaderet, si modò tamen non iam à natura, viribusque deficeretur.* Et quia iam multi ab editâ vsque scribendo aduersùs Neuræum Baranciumque prædictione, tibi exprobrârant, fieri nihil posse impudentiùs, quàm mortẽ homini viuenti publico scripto prædicere esse nihil; virgâ censoriâ publicique cognitoris animaduersione dignius, quàm captandæ mortis occasionem ingerere, quàm oculos omnium in vnum, quasi in commune ali-

quod ſpectaculum, conuertere; quàm illi ſi credulus fuerit, (vti nemo ferè non eſt) cauſam mortis obijcere; cùm conſtet multos ex ſolo mortis hoc modo prænunciatę metu, morbum, mortémque contraxiſſe; quia inquam, iſta aliáque id genus tibi exprobrata fuerant; ideò ex prçcautionibus à te adhibitis, excuſationem texens, ſubiunxiſti, *dicentem te moriturum illum anno 1650. non dicere illum infallibiliter moriturum, aut fore ipſi illum annorum extremum, vt ineptè interpretabantur ignari Aſtrologicæ phraſeos, quàm peruersè acciperent, ac lupum, quàm eſſet, maiorem ſemper facerent; ſed innuere ſolummodò ſubeſſe tunc periculum, prudentiâ, ſi tamen poſſet fieri, ſub pœna mortis, euitandum. Poſſe enim, qui ſciens eſt (hoc eſt ſcientiâ vel propria vel alterius admonitus) multos ſtellarum effectus euertere. Ptolem. Aphor. 5. Centiloq.*

Iſtæ igitur ſunt Prædictiones tres, vna tacita, cœteræ expreſſæ, quibus prænunciaſti virum optimum *anno 1650. in ipſo Iulij, Auguſtique menſium confinio moriturum*; ſeu, vt emplaſtro tuo vtar; *cùm eſſet eo anno plurima mala tempora, ſymptomata-ve grauia pertinacis morbi experturus; vim tamen maximam, ſeu ſymptoma totius morbi grauiſſimum, & ex ſe mortem inferens caſurum in illud, quod dixi, confinium.* O te igitur publicum impoſtorem! Et audere te adhùc Artem iſtam tuam adeò impudenter, adeò inſolenter, ac in recitata præfatione facis, iactare? Ego me multis nominibus habeo fortunatiſſimum, quòd in illius viri notitiam, amicitiamque peruenerim; at fœlicitati non poſtremæ verto, quòd mihi ex longa peregrinatione cum optimo meo, ac nobiliſſimo Patrono Franciſco Boiſſonio Meruelliarum Toparcha, in eam Prouinciam ſub anni initium reduci, contigerit illum & inuiſere, & ad vſque annum ruentem iucundiſſimâ, fructuoſiſſimáque eius conſuetudine vti; quò poſſem teſtis publicus tuæ impoſturæ euadere. Erunt fortè & alij, qui idem publicè teſtabuntur; neque enim ego, ac ille, ad quem iſta ſcribo, ſoli fuimus; ſed fuere etiam plurimi alij; ac ille imprimis, qui meritò ſit plurimorum inſtar, Princeps optimus, &, vt generoſiſſimus, ita litteratiſſimus,

Ludouicus Valesius, Dux Engolismensis, & Prouinciç Pro-Rex, qui impensissimè virum amans, illum ab exeunte anno antecedente Diniâ Tolonem euocârat, vbi clementiore cœlo frueretur. Itaque, vt optimus Princeps, ita omnes, nos, qui tum aderamus, qui eramus tuarum illarum prędictionum conscij, virum toto anno obseruauimus, si qua in parte aliquid prędictionum tuarum haberet euetum. Deum verò immortalem! Quo effectum dicam diuino consilio, vt ille conualescere ab anno ineunte ita cœperit, vt etiam die quintâ Februarij voluerit, ac potuerit, etiam non paruâ ex parte pedes, arduum montem conscendere, qui est Toloni ad Boream; vt cum patefecisset nobis circà experimentum vacui, cuius superiùs memini, resistere hydrargyrum intrà tubum vitreum, ac in ipsa quidem vrbe, & ad littus maris, duos Orgyiæ Parisinæ pedes, cum digitis tribus, ac septem vnciis & semisse (deerat proximè quadrans vnciç cùm in parte domus superiore res exploraretur) vt cùm id, inquam, patefecisset, ostenderet nobis quid discriminis, re exploratâ, in ipso montis vertice deprehenderetur. Prętereo autem hydrargyrum restitisse in vertice montis ad altitudinem pedum duorum, digitorum duorum cum vnicâ vnciâ; & cùm exscendissemus in villam viri verè boni, doctique causarum Patroni Durandi, quę ad quintam circiter partem celsitudinis montis est, restitisse hydrargyrum ad altitudinem pedum duorum, digitorum duorum cum vndecim vnciis. Prętereo quoque optimum virum fuisse rursùs die insequente ex vrbe egressum cum nobis iisdem, qui cum eo montem conscenderamus (hoc est præter me, & meum Capellam, optimo Desnosio, Illustrissimo Principi à sacris; præclaro Neuræo, cuius sæpe iam facta mentio est: per-erudito Mathematico, eximióque Ingeniario Blondello; duobus Blondelli fratribus rerum bonarum perquàm studiosis, ac recitato antè Poterio, famulisque organa deferentibus) egressum, inquam, in planitiem, quæ est ad ipsum maris littus, ac inde dimensum memorati montis altitudinem deprehendisse illam secundùm perpendiculum Parisinarum orgyiarum, toësarum-ve 228. hæc prætereo, inquam, & attingo tamen,

vt significem virum optimum iam tùm omnes penè reliquias diuturni morbi deposuisse; tantum abest, vt graue vllum toto superiore Ianuario morbi symptoma expertus fuisset. Toto verò reliquo anno ita præclarè valuit, vt Deo bene propitio, ne morbum quidem minimum, morbi-ve vmbram senserit; ac speciatim totis Iulio, & Augusto eâ valetudine fuerit, quâ non possit perfectior, constantiorque desiderari. Quo ergo diuino consilio effectum fuisse repetam, vt qui moribundus à tot iam annis videbatur, eo ipso anno, quo tu illum demùm moriturum prædixeras, non modò non fuerit eo tempore malignissimam morbi vim expertus: verùm neque tunc, neque ante, nec pòst toto anno ægrotauerit? Quo, inquam, consilio, nisi quòd Deus ter-maximus sospitem illum esse voluit, tum vt humanæ societati esse diutiùs vtilis pergat, tum vt tibi sit confusioni, & vel viuendo tuas imposturas, damnatasque artes refutet; Quid enim deinceps est opus, vt scribat; cùm quot dies viuit, tot sint argumenta, quæ aduersùm te conficit, tot testimonia, quæ aduersùm te, tuamque Astrologiam dicit? ô quoties aures admouisti, dum quispiam de statu valetudinis eius loqueretur! quoties tacitè inquisisti, vt toto anno reliquo, sic potissimùm Iulio & Augusto, quî ille se haberet! quoties per-parum abfuit ne gladium in te stringeres, ne te laqueo suspenderes, ne in puteum te præcipitem dares! Sed permisit Deus durare adhuc te, si forte acturus pœnitentiam fores; cùm ob mala alia, tum ob id, quòd ipsemet volens fecisses tibi necessitatem expetendi mortem tui proximi, ne cogereris delusæ artis, prædictionisque falsi conuictæ eam confusionem sustinere, quæ ad desperationem te adigeret. Permisit durare, si fortè tandem aliquando resipisceres, & hasce tuas nugas, nugas reputares. Quàm abes nihilominùs procul, vt vel minimùm de pœnitentia cogites; qui tantâ esse in optimum virum maleuolentiâ, ac malignitate pergis! Quàm abes quoque, vt vel minimùm cogites de resipiscentiâ; qui pergis adhùc sic in tua præfatione insolescere, vt etiam ausis damnatam artem, hoc est tuam Astrologiam *scientiam* appellare *diuinam*!

Hoc

Hoc certè insinüat, cùm primùm audies fuisse euulgatum à me, quàm falsæ tuæ prædictiones, ipso ex successu euaserint; tantum abfore vt ingenuè deceptum te fuisse fatearis, quin potiùs nihil non sis tergiuersaturus, si qua fortè ex tuis illis præcautionibus ante iactis, conficere emplastrum valeas, quo vulnus tam longum, latum, profundúmque, ac tam insanabile obducas. Dices, sat sentio, *te declarasse, non habere te tuam prædictionem infallibilem*, ac fatalem; *sed eiusmodi, quæ posset auerti, si modò Gassendus is foret, qui tuæ admonitioni pareret. Paruisse autem illum argumento esse, quod & morbum non senserit, & mortem deuitauerit; moriturus nisi paruisset; vnde & debere eum tibi gratiam, quam praoccupato petiisti, haberi: nisi habeat, ingratum fore.* Verùm, ô impostor! vt indè incipiam; ille nec tibi gratiam habet, nec idcircò ingratus est, qui longè abest, vt abs te consequi boni quidpiam possit. Ac amici quidem nomen prætendisti: sed talis scilicet amici, qualis iam antè descriptus es; filius putà non degener illius, cui dictum à Domino est, *amice ad quid venisti*? Ecquid certè sperasti aliud, quàm vt si fortè optimum Gassendum suâ defecisset constantiâ, & aliqua harum prædictionum credulitate teneretur, talem mortis metum illi incuteres, vt eo accedente ad vim morbi, quem perseueraturum putabas, ac per æstus Caniculæ ad febrilem ardorem, quo solet cerebrum affectum easdem continenter versare, reuersarique cogitationes, illum in discrimen, quod ipsi exoptabas, quantùm posses, deduceres, & titubantem leuiter tuo impulsu præcipitares? ad quid verò illa? *Sapiat, gratiamque habeat si volet; plura non dico*, an-non, vt casum tantò magis formidabilem insinuares, quantò magis tuam prædictionem esse certam innueres; sicque ex creato, adauctóque in animo pathemate, perniciem illi procurares? Ecqua est certè vindictæ species aduersùs credulum inimicum maior, quàm vt illi prædicatur ab Astrologo futurum, vt tali tempore moriatur, aut in graui mortis periculo sit; cùm exinde nihil fieri possit illius animo ærumnosius, nihil, quod, ob causam iam dictam possit illi magis & morbum, & mortem inducere? Talis proindè est gratia, quam tu similesque

S

tui harioli, haberi vobis vultis ab ijs, quibus talia prædicitis; quique si saperent, agnoscerent se non posse inimicos habere vobis nocentiores. Hinc quia videtis sæpè in vos odium maximum exindè conflari, callidè cauetis, nè aliquid tale aduersùs eos pronuncietis, quos habere amicos vultis, & à quibus magnam mercedem speratis. Illis scilicet omnia fausta, ac vitam præcipuè longæuam pollicemini; nam aliqua quidem hisce, illisque temporibus occursura pericula; sed benignos esse siderum aspectus, qui malignis potentiores, illa superanda præmonstrent. Quanquam nè sic quidem defugere odium, ac infamiam potestis; cùm loquuti ad gratiam, & iuxtà inania vestra Placita, spe inani illos lactatis, quâ se delusos dum sentiunt, mirum quibus vos, artémque vestram diris deuouent. Id verò, vt tibi imprimis contingat, familiare est, cui publicitùs exprobrata sunt innumera propè, & nota publicè exempla, vt circà filiam illustris Comitis Chiauinij; vt circà filium illustris Præsidis Gobelini; vt circà Præfectum ærarij Bullonium; vt circà illum, cuius causâ cæsus fustibus, litem intentasti coràm Iudice sanctæ Genouefæ. Sed ne plura id genus consecter; *prætulisse te Gassendi vitam tuo honori*, ais, ô Lepidum caput! te Gassendi vitam tuo honori prætulisse! Te, qui centum vitas non illius modò, sed charissimorum etiam quorumcúnque, deminutioni vel minimæ vanæ illius gloriæ, cuius tam insanè famelicus es, posthaberes; qui ne minimulam quidem vllam ferre potes iniuriam; qui nullâ etiam occasione proximum tuum calumniaris; crimina illi grauissima imponis; probra, & maledicta in ipsum effundis; qui in ipsum speciatim Gassendum adeò es malè affectus; qui à maleuolentię significatione abstinere potis non es: Te, inquam, Morine, esse tam Christianum, tam feruente esse charitate, vt Gassendi vitam, qua illi tamen honor est charior, tuo honori præferas. Vah, impostor impudens! Et hoc etiam audes coràm Deo, & hominibus prædicare? Audes fuco tam euidenti illinere conscientiam tam turpem. Dic verò impostor! numquid etiam defleuisti lugubrem casum, illi, quem tantopere amabas; quem chariorem oculi tui pupillâ habe-

bas, impendentem? ô Crocodili lachrymas!

Enimverò, vt clariùs pateat, quàm ridiculè illud sanctum, venerabiléque nomen amicitiæ prædictionibus futilibus prætexas; dic mihi, insane, quo iure præsumas amicus videri illorum, quibus prædicis aliquid, qui ne potueris quidem vnquam tibi-met ipsi aliquid prædicendo, esse amicus? Ne rem petere longè videar; Quereris ecce nullum annum tibi fuisse illo eodem 1649. infaustiorem; ac inter varias calamitates, quas enumeras, *Erysipelas*, *herniam*, *milites*, *lites*, &c. Scribis *nullum potuisse tibi contingere malum illo horribilius*, *quod tibi accessit ex ijs quæ aduersùm te Gassendus*, *Neuræus*, *Barancius scripserunt*; *cùm conceptus ex illis dolor adduxerit te in vitæ discrimen.* Dic igitur, miser! quamobrem non fuisti tibi ipsi amicus, vt tibi hanc ipsam calamitatem prædiceres, eámque, quia non esset fatalis, tuâ prudentia auerruncares: quoniam, vt etiam mox repetis, *Potest*, *qui sciens est*, *multos Stellarum effectus auertere*, *Ptolem. Aph. 5. Centil.* Tu autem non *alterius*, sed *propria scientia* debuisti esse sciens? An excipies, quia Ptolemæus *multos*, non *omnes effectus* dicit, esse istam calamitatem, vnum ex illis effectibus, quos non potueris auertere? Si dicas, fatebere ergo & influxus siderum, & quæ prædictiones ex illis fiunt, esse fatales. Si non dicas; potuisti ergo calamitatem auertere: at, miser, quare non auertisti? Non aliam profectò ob caussam, quam quia *sciens* neque *propria*, neque *alterius scientia* fuisti. Et quòd sciens quidem non fueris, ipse-met fateris, cùm ais illam vt *iniustè*, sic *inopinatò* tibi contigisse. Et quomodo ergo poteris, ô miser; ô calamitose Morine, esse aliorum respectu *sciens*, vt calamitates ab illis auertas, qui *sciens* esse respectu tui, vt calamitates à teipso auertas, non possis? Sed quò patefaciam hanc calamitatem, vt contigisse tibi iustè, ita non debuisse, si in te Astrologia aliquid valuisset, inopinatò contingere: Dic amabo, Quòd tres illi viri conscripserunt aduersùm te, cuius occasione fecerunt? An-non occasione tui illius Libri, quem aduersùs Gassendum scripseras, inscripseráſque *ALÆ TELLVRIS FRACTÆ?* Ex hoc igitur tuo libro exorta tibi calamitas. Non est verò primùm exorta

iniuste; quoniam tu iniuriam prior feceras, & cùm vim fecisses in famam viri optimi, licuit vim vi repellere. Dicis paginâ illâ eadem esse te *ea indole, vt nullam ferre iniuriam posśis*. Et quorsùm vis alios ea indole esse, vt omnem à te iniuriam patiantur, tu ab ipsis patiaris nullam? Deinde neque ea debuit tibi inopinatò contingere; quando librum illum non inopinatò, sed deliberatò scripsisti. Et cùm actiones, quæ minimi alicuius momenti sunt ex Astrologiæ præscriptis regas; cur, cùm ad huius libri scriptionem, quæ tibi erat tanti momenti futura, appelleres animum; non docuit Astrologia te, quod vel mica salis (hoc est prudentiæ, vel minimum) si tibi adfuisset, poterat docere? Quid enim; ea tibi non potuit cogitatio animum subire, aggredi te rem, cuius pœnitere te posset? Scribere te in virum, qui rescribendi esset non nescius? facere te illi eiusmodi iniuriam, ob quam non deberet vir Christianus tenere silentium? Non reputare saltem debuisti esse illi amicos, qui tametsi ipse taceret, te impunè non sinerent? At non putabas *illi Saturno*, ita scilicet loqueris, *hos adfore satellites*; sed nosti cuius sit dicere, *Non putabam*. Quid igitur tibi Astrologia profuit, si id non suppleuit, quod præstare tibi prudentia, vt videlicet *putares*, non potuit? Fieri-nè potest, vt deinceps quisquam ita tuæ Astrologiæ fidat, vt putet sibi illam prodesse, quæ tibi-met ipsi non prosit? Sed & quæso, quoniam illa tua calamitas tanta prouideri à te neque per prudentiam, neque per Astrologiam, priusquàm contingeret potuit; quamobrem saltem ea non te fecit, postquàm contigit, vel tuo ipsius damno, cautiorem? Quid enim tibi mentis fuit, cùm iterùm aggressus es aduersùs Gassendum conscribere hanc, quæ præ manibus est, Dissertationem? An-non, quia iterùm *non putasti* fore aliquem, qui tametsi ille sileret, tuam audaciam reprimeret, ac tibi non leuiorem fortè induceret calamitatem? De me non loquor; cachinnans enim te ista floccifacere, quasi leuiculam aliquam tyronis velitationem, dices; At scito & esse Veteranos, quibus non possis obsistere. & me, vt Morinismo vtar, vt id mihi de me polliceri, vt velitatione hac exercitatus, possim congressu proximo μείζω κακὸ

tibi inferre. Hac nos de re tempus docebit: Sed dic interea, quorsum-nàm sit, vt tu tantus Astrologus; tu Astrologiæ instaurator; imò à fundamentis exstructor; tu Astrologorum parens; tu, verbo dicam, Morinus; hæc & similia non præuideas, quæ patuli etiam, lippulique prospiciunt? Quî fit, vt prouidere possis fore tibi annũ infortunatissimum, non possis tamen speciem infortunij, ac vnde illud tibi euenturum sit, quo deuitetur, prouidere? An-non quia, vt dicere soletis, præsignificant quidem Astra malum aliquod, certo anno, anní-ve tempore eventurum; at quod-nam speciatim, aut à quâ speciali causâ id futurum sit, non præsignificant? At verò, miser, quid tibi prodest malum generatim prænosse, speciatim verò præignorare? Nam malum quidem, quod tibi impendet, quod excipis, quod pateris, non generatim sumptum est; sed speciatim tibi, ac speciale malum; Et nisi prouidere hoc speciale malum; nisi specialem eius causam, nisi specialem modum illi occurrendi; nisi specialem rationem eius auertendi prospicias; ad quid tibi, miser! prodest astrologia, nisi vt ante tempus sis miser; & sic numquam fœlix, cùm sis iugiter siue præuisione, siue passione mali, infœlix? Et potes ergo præsumere esse amicus alijs, qui tibi esse amicus non possis? Prædicere alijs infortunia, quæ declinare valeant; cùm non possis tibi ea prædicere, quæ ipse valeas declinare? Et potest quisquam sanæ mentis ad Morinum accedere? arti illius fidere? sibi ab eius Astrologiâ boni aliquid polliceri?

Verùm ad id redeo, quod sis responsurus. *Paruisse* videlicet ais *Gassendum tuis monitis, ac mortuum idcircò non fuisse.* Infœlix! quàm malè est tibi, quòd de eo viro agitur! Posses fortassis inani quidem, sed aliquo tamen prætextu de alio quopiam id dicere; at de Gassendo, quem nôrunt omnes, quem tu assiduè conquereris tuam Astrologiam ridere; tuas prædictiones contemnere; tuas admonitiones futilissimas reputare; de illo, inquam, id dicere apud quos, aut quâ fronte potes? *At tametsi*, inquis, *palam non fateatur, quia palam solitus est ridere Astrologiam; Secretò tamen paruit*: Inepte; siccinè igitur, ne nihil videaris dicere, hæc pueriliter

effutis? Et quonam argumento probas publicè negantem, priuatim paruisse? *Quia sibi prospexit ne & in vim morbi maximam, & in morbum incideret?* Scilicet quia sibi prospexit, tuis monitis debet, quod prospexerit! Scilicet vt sibi prospiciat, res est illi noua, ac insolita? Scilicet qui à tot iam annis cum incommodis variis colluctando, eam sibi diætam præscripsit, quâ tam Parisiis, quàm in Prouinciâ indesinenter obseruatâ, tum morbum continuum, tum intercurrentes varios partim mitigauit, partim superauit; & accedente denique congrua constitutioni ipsius temperie Tolonensis aëris, morbum quemlibet fœliciter deposuit; fecisse hoc non potest, nisi quia tuis monitis factus sapiens sibi prospexit? Testes nos sumus, quemadmodùm ille vno tenore viuat, ac eadem, quæ vidimus ipsum Parisiis agentem, pergat agere: nempe vt à vino penitùs abstineat, vt nunquam, nisi calidam bibat; vt carnibus parce vescatur; vt sit propemodùm iusculo, cum intincto pane contentus? vt se moderatè exerceat; vt studiis multum quidem tempus, sed matutinum præsertim impendat, vt vno verbo cœtera faciat, quæ neque Iulio, neque Augusto, neque toto reliquo anno vllatenùs cœpit, intermisit, variauit. Testes, inquam, nos huius rei sumus, qui illi frequentes conuiximus; qui Tolone, nisi vt cum ipso versaremur, non fuimus; qui ad hoc speciatim attendimus, si rationem victus quicquam immutaret; si quicquam vno tempore, quàm alio cautiùs se gereret; si quidquam demùm fidei habere tibi videretur. O te verò ineptissimum, dum cogitasse illum somnias tuam admonitionem vertere in rem suam! Quanquàm & quæ fuit ista admonitio? vt sibi caueret illis mensibus? Monuisti-ne primùm à quâ re ipsi cauendum foret? An morbi speciem designasti? Quippe sæpe-numero fit, vt dum nitimur vnum morbum defugere, incidamus in alium. An morbi causa? Quippe cùm esse multæ causæ eiusdem morbi valeant, potest vna sic deuitari, vt non opinanti alia suboriatur. An morbi remedium? Quippe cum tam sæpè Medici fallantur, vsurpari potest, quod incongruum sit? An quicquam tale præmonuisti? Non sanè; verùm vniuersè dumtaxat vt sibi caueret? hoc verò agens,

ecquid-nam ampliùs quàm quod quilibet è media plebe quotidie facit? At tu monuisti de tempore? Igitur quisque è media plebe tantò sapientiùs facit, quàm tu; cum cauendum iubeat omni tempore; tu securus de cœteris, vno solo iubes cauendum. Dic verò, quæso, si quia ille nihil mali sensit eo tempore, quo vt caueret ipsum monuisti, ad id sufficit, vt inferre possis, parüisse illum tuis monitis; Ecquis est plebeius, quem superare valeas fœlicitate diuinandi? Ecce enim; exempli gratiâ, dicat Titius Sempronio, morieris, Semproni, nisi tibi caueas, die decima quintâ mensis proximi. Prædictione factâ, aut morietur Sempronius, aut non. Si moriatur, ergo iure glorietur Titius propter prædictionis certitudinem. Si non moriatur, ergo non erit cur falsitas prædictionis illi exprobretur; tuebitur nimirùm se, mortuum non esse Sempronium, quòd suæ admonitioni parüerit. Et neget quantum volet Sempronius, se admonitioni illius parüisse; quidquám-ve quia ille dixisset cauendum, egisse; reponere tamen Titius poterit, licet non fateatur Sempronius, illum tamen sibi reipsâ parüisse. Ecquod, quæso, erit Morine inter te, Titiúmque discrimen? Quia ego, inquies, prędixi ex arte, Titius verò ex merâ fortunâ. At non-ne hoc ipsum declarat, Morine, nihil esse inter meram fortunam, artémque tuam discriminis; cùm vtriusque idem sit lusus; ac solùm ipse te reddas Titio infœliciorem, eo nomine, quòd tu tibi artem, quasi crucem figas: ille nihil aliud quàm jocari velit? quod superest enim, paria omnia sunt. Fieri potest vt Sempronius moriatur, fieri potest vt non moriatur, fieri poterat vt Gassendus moreretur, aut laboraret grauiter; fieri poterat vt non moreretur, nec laboraret grauiter. Non moriatur Sempronius, Gassendus neque mortuus est, neque grauiter laborauit (qui ne laborauit quidem minimùm) pręmonueras tu; præmonet Titius: disparitas itaque nulla, sed tam Morini, quàm Titij talis omninò est prædictio, quale Bridoyæ iudicium, qui talorum iactum pro reo, iactum pro actore faciebat, qui iactu fuisset potior, illi victoria decernebatur.

Resumo id rursùs, quòd sis responsurus: Præmisisse scili-

certe, non esse neque prædictionem; neque vim Astrorum necessitatis prorsùs fatalis; ac subiunxisse non dicere te, fore, vt Gassendus infallibiliter moreretur; *posse enim, qui sciens sit, &c.* Sed ad populum phaleras: Ecquis enim nescit vestram istam esse decantatissimam cantilenam, quâ vestram futuri ignorantiam prętexitis; vt quoties effectus non successerit, dicere possitis, *non sunt decreta Astrorum fatalia, neque prædictiones ex illis infallibiles; possunt enim effectus Astrorum ab eo, qui sciens sit, auerti*; vt imprimis vero, Morine, & istud & alia suffugia pręcidam, prouoco te ecce ad specimen artis, quod si in Gassendo exhibuisses, decisa lis foret; quodque si exhibere iam renuas, penitùs conclamatus es. Nôras, tu, cùm hæc scriberes, fuisse Gassendum moriturum sub Iulij finem, Augusti-ve initium, nisi ipse illum pręmoneres, vt sibi prospiceret. Nisi igitur illum præmonuisses, fuisset ille haud-dubiè mortuus? in hoc enim consistit vis integræ tuæ euasionis. Si igitur loco pręmonitionis scripsisses in schedula hæc verba; *Morietur ex morbo Gassendus sub finem Iulij, vel initium Augusti anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi*, ac sigillo apposito, schedam deposuisses penes Tabellionem (idque imploratâ etiam, si libuisset, authoritate Iudicis) qui in acta referret deposuisse te apud ipsum, tuo certo fine, eam schedam intra proximum annum repetendam; ac tum scripsisses, euulgassesque prædictionem te de Gassendo fecisse; iubere te tam illum, quàm Neuræum, & Barancium esse deinceps de eâ securos: deposuisse te illam penès Notarium, qui tempore suo fidem faceret, à quo tempore consignatam haberet. Si id verò egisses, Morine, si mortuo Gassendo illo tempore, schedam repetitam coràm eodem Notario, Tabellione-ve ac testibus, aperüisses, legendam prębuisses, referri in acta, quid eâ contineret, petiisses, ac tum gestam rem scripto publico euulgasses; Nonne-ne os nobis obstruxisses, ac specimen artis prębuisses, quo euasisses super æthera notus? Itaque nisi velis, vt omnes istas euasiones verba mera habeamus, ac pares reputemus omnes, quas deinceps extuleris, prouoco te ad specimen isti simile exhibendum. Si Gassendi exemplum te terret,

torret, delige quem voles, amicum, inimicum, magnatem, plebeium, iuuenem, ſenem quemlibet volueris ex illis tam multis, quorum Themata natalitia habes. Fieri non poteſt quin illorum cuipiam notabile quid accidat intrà annum hunc reliquum, cuius alterum dumtaxat decurtimus menſem. Scribe ergo diem in ſchedâ, quo ille aut morietur, aut laborabit grauiter, aut inſignem iacturam faciet, aut quid ſimile illi eueniet, quod contingens ſit, neque præſciri aliundè poſſit; ac vbi ſchedulam obſignaris, ſigillo munieris, penès Tabellionem depoſueris; publico ſcripto ſignifica te prædictionem depoſuiſſe, quam tali tempore & repetiturus, & euulgaturus ſis; ac tum ſi euentus prædictioni reſpondeat, tam egregiam laudem, tam ampla ſpolia referes, vt vnus ſis & apud me & apud omnes triumphaturus. An hanc recuſare conditionem potes? ſi facias: ſi periculum facere detrectes, quod tibi adeò facile ſit; quod ſit tibi tanto futurum honori; quod ſit tantam gloriam, fidemque conciliaturum Aſtrologiæ; quod ſit os prorsùs obducturum & Gaſſendo, & cœteris tuam Aſtrologiam improbantibus; An erit cur non reputemus eſſe te merum impoſtorem, cauillatoremque, qui euaſiones friuolas, gratiſque confictas obtrudas, vice vnius ſpeciminis, cui nemo eſſet, qui obloqui poſſet? An erit cur hæc prouocatio tuæ illi Gallicæ Aſtrologiæ futura in opprobrium æternum non ſit, ſi illam euulgaueris, hoc ſpecimine non peracto? Addo, quominus id recuſes; cùm ferre te ægrè teſteris, illa librarum ſex millia Nepotulatum tuarum coniugiis deſtinata, in editionem Gallicæ tuæ Aſtrologiæ impendere; addo, inquam, me amicum habere, qui ea conditione tecùm contrahat, vt te illas ſex mille libras deponente, aliàs ſex mille ipſe deponat, vt ſi facto ſpecimine euentus non ſucceſſerit, ferat ipſe lucro tuas ſex mille libras: ſi ſucceſſerit, feras ipſe lucro, quas ille ſex mille depoſuerit. Aut certè ipſe tibi diffides, ac planum facies te eſſe impoſtorem, cùm tuam ita iactas Aſtrologiam, aut conditionem accipies, ex qua tantum tibi ſit futurum emolumentum, vt ſine vllo tuo, aut Nepotulatum damno, Aſtrologiam tuam poſſis edere. Quò autem minùs dubites; peri-

culum facito, & nisi amicum talem exhibeam, impostorem me & habeto, & impunè dicito. Vis-nè porrò vt ego melior sim propheta, quam tu? vis dicam, quid futurum sit? conditionem haud quaquam accipies. Quid ita verò? Non aliam profectò ob causam, quàm quia ansa tibi præcideretur comminiscendi hasce euasiones, quibus tibi esse liberum vis, vt tergiuersari, quantum opus sit, possis.

Deinde vt de euasione, de quâ iam cœpi, dicere pergam, Pręmonstrauit paucis Gassendus, quid de ipsa sentiendum sit. Ita habet videlicet pagina 948. *Neque dicant Astrologi infaustos eiusmodi casus præsignificari ab Astris & præcognitos posse deuitari. Notum est enim, si deuitentur, non fuisse præsignificatos, ac ipsam potius deuitationem, vt quæ reuerà futura fuerit, debuisse præsignificari.* Id quippe apertè demonstrat, aut Astra nihil pręsignificare, ac Astrologos proinde nihil posse ex ipsis prænosse, ac pędicere, aut si præsignificant aliquid, quod ex iis prænotum, pędicere Astrologi valeant, id infallibiliter, necessariò, fataliter contingere. Etenim præsignificans & præsignificatũ relata sunt, quorum vno posito, aliud ponitur, & vno sublato aliud tollitur, idque ex necessitate; neque enim fieri potest, vt aliquid præsignificet, si nihil sit, quod præsignificetur, aut vt aliquid præsignificetur, si nihil sit, quod pręsignificet. Quare & si astra aliquid, verbi causâ mortem alicuius, præsignificant, debet talis mors necessariò contingere; alioquin enim si non contingeret, præsignificans sine præsignificato foret, atque idcircò si aliquid, verbi causâ mors, non contingat, quia id præsignificatum non est, neque fuerunt Astra illius præsignificantia. Quod autem dico de Astris præsignificantibus, & rebus præsignificatis dico, idem dicendũ est de Astrologis iuxta Astrorum præsignificata prædicentibus, & de rebus, quas ab Astris præsignificatas prædicunt; quoniam si iuxtà ea, quæ sunt præsignificata prædicunt, debent pariter res prædictæ necessariò contingere; & si non contingant, argumento est, fuisse illas iuxtà non præsignificata pędictas: Vnde & concludo; si Astra mortem, morbum-ve grauem Gassendo præsignificarunt ad Iulij finem, Augusti-ve initium;

& tu, Morine, id futurum iuxtà præsignificationem prædixisti, debuit tunc mors morbus-ve Gassendo necessariò contingere: Quoniam verò non contigit, ideò neque Astra illi ad id tempus mortem, morbum-ve præsignificârunt; neque tu prædicendo rem, quæ non contigit, prædixisti id, quod Astra præsignificarunt. Et, quæso certè, vtrùm id, quod Astra præsignificant, sit quid positiuum, realeque, an quidpiam merè negatiuum & nihil? Si dicas posterius; igitur Astra nihil præsignificant, nihilque adeò est, quod prędici possit. Si prius; vbi-nam ergo est illud reale, ac positiuum, quod sub Iulij finem, Augusti-ve initium Gassendo euenturum tu fuisse putasti ab Astris præsignificatum; cùm ille neque mortuus fuerit, neque vllo morbo laborauerit? Dices id victûs regimen, quod fuit, te monente, sectatus, morbum, mortemque auertisse, impediisséque ne contingeret? At quia futura erat causa huiusmodi effectum impediens, idcircò effectus nunquam fuit futurus? quare neque esse in Astris illius signum vnquam potuit, aut si dicas fuisse; necesse est falsum dicas fuisse. Vt certè rei, quæ reuerâ fuit potest esse signum seu vestigium aliquod; non potest verò vllum esse eius, quę nunquam reuerâ fuit; ita potest quidem eius rei, quæ reuerâ futura est, esse signum aliquod; at eius, quæ prorsùs futura non est, esse omninô nullum potest. Vnde & efficitur, vt si hac in re admittendum sit exhiberi in Astris signum aliquod; illud sit non rei, quę futura non est, sed impedientis illam causę, quæ aliquod reale, positiuumque est. Sic enim, cùm tu, exempli gratiâ, nullo non die ad præcipitium stes, aut ambules, in quod nisi caueres, te præcipitem dares (seu ad fenestram nempè inclinatus, seu scalam, gradus-ue exscendens, seu in puteum respiciens, seu ad oram fluminis transiens, &c.) Non deprehendes sanè in Astris signum vllum pręcipitationis, quia nulla sit futura ad dies singulos, sed generalis ad summum cautionis, quâ prospicias ne pręceps cadas; &, si aliquando graue periculum sit ne cadas, nisi aut te alius admoneat, aut ipse attentior tibi sis; non magis deprehendes signum præcipitationis ad illud tempus, quàm ad cœtera, quia illa tàm tunc, quàm

aliàs erit nulla : ſed ad ſummum admonitionis, attentioniſ-ve, ſeu cautionis maioris; ac ſi putes te ſignum præcipitationis deprehendere, idque vt putas, ſic verè ſit; ſupereſt vt tempore huiuſmodi præcipiteris. Ita enim & ſignum, ſeu res præſignificans, & ſignificatum, ſeu res præſignificata erit. Quo proindè modo dico; cùm poſſit Gaſſendus diebus ſingulis grauiter laborare, ac mori, niſi ſibi proſpiciat; poſſe ad ſummum deprehendi ſignum generale prudentiæ, proſpicientiæ-ve, qua ſibi caueat, non autem nouum, nouúmque ſignum morbi, mortiſ-ve ad dies ſingulos; & non magis ad illum diem, cuius admonebitur, aut ad quem erit attentior, quàm ad cœteros, quotieſcunque tam parum ad illum, quàm ad cœteros morbus, aut mors erit, neceſſéque proinde eſt, vt ſi aliquod ſignum morbi, aut mortis aliquando ſit; morbus tunc illi, aut mors contingat. Poſſent pluribus hæc vrgeri, ſed in aliud tempus differenda ſunt.

Hoc ſolùm iam addo, priuſquàm hæc mittam: dignum nempè eſſe conſideratione, potuiſſe illud tempus inter Iulium, & Auguſtum à te deligi, in quo animaduertiſſes Aſtra præſignificare Gaſſendo morbum grauiſſimum, ac mortem, tanquam effuſura in ipſum illo tempore malignitatem maximam: & illum tamen totum id tempus ſic tranſegiſſe incolumem, vt nihil penitùs ſenſerit maligni. Sanè quidem ſi ille tunc fuiſſet vel leuiculo aliquo morbi ſpecimine tentatus; ſi vel febricula Ephemera; ſi vel leuiſſima capitis grauedine; ſi vel tuſſicula; ſi vel indigeſtiuncula; ſi, vt paucis dicam, incommodo vel minimo, ſuſpicio quædam fieri poſſet, Aſtra ipſi aliquid tunc ſiniſtri præſignificaſſe, & te id obſeruaſſe, ſicque reuerâ prædixiſſe: At abiiſſe totum id tempus, abiiſſe tantum ante & poſt, abſque eo, quod ille tam malignus, tam formidabilis influxus (cuius causâ mortem indubiam verbo illo, *Plura non dico*, veluti ſtrangulaueras) ne minimam quidem ſuæ præſentiæ notam dederit; & tam denſa, tam atra, tam fœta tonitruum, fulminúmque nubes, ne minimam quidem ſui vmbram creauerit; Quid eſſe hoc aliud poteſt, Morine, niſi impreſſum non in Aſtris, ſed in libris à te editis ſignum blaterationis, mendacitatis, impoſturæ tibi conge-

nitæ. Præsagieras *vix fieri posse*, testando interim *non dicere te plura* (hoc est, fieri prorsus non posse) *vt tempus illud transigeretur, quin ille malignos Saturni, Martisque influxus periculosè experiretur:* At cùm ista malignitas nusquam in mundo, nisi in tua malignissima anima, malignissimisque scriptis apparuerit; Quæso an censeri debeant Saturnus & Mars illam alibi vspiam impressisse? Et res profectò ita se habet. Optimus ille, qui contemplator siderum tam assiduus fuit, familiares sibi iam pridem tam Saturnum, quàm Martem fecit; illos frequenter coluit; diù versatus cum ipsis est; amicitiam cum illis iniit; quare & quorsum quidquam maligni ab iis metuat, minimè est; Tu verò ipse es, qui omninò metuere ab illis debes; tu, qui de facie illos non nosti, ac tales esse semper putasti, quales solùm solitos pingi in Ephemeridibus, Astrologicisque libris cognouisti; vt proindè mirum non sit, si cum Saturnum baculo, & Martem armatum iaculo semper videris, illos malignos existimes, ac metus tibi semper impendeat, ne aut te Saturnus cædat baculo, aut Mars te iaculo confodiat. Sed hæc vt mittam, etiamne dices Gassendum sic tibi paruisse, vt ne hilum quidem mali senserit? Scilicet ille magis tibi, quem flocci facit, parüit, quàm tutemet tibi, qui teipsum tantopere suspicis, pareas? Scilicet tu tibi exsistenti alioquin sano prædixisti adfuturos morbos (& *scientiâ quidem propriâ sciens*) quos non ita tamen deuitare potueris, quin te & erysipelas, & hernia inuaserint; hernia quidem in totam vitam (verba tua sunt) Erysipelas verò in sex menses, quibus vt illud abigeres, aquis causticis, magno cum dolore es vsus; Gassendo verò laboranti morbo, vt diuturno, ita, ex te, periculoso, morbum prædixisti adfuturum, quem *scientia alterius*, hoc est tuâ, sic deuitare potuerit, vt ne vmbram quidem eius viderit; imò & repertus in eo statu fuerit, quo depulsis iam ab anni dimidio prioribus morbis, ita benè se, vt nunquam meliùs habuerit? Scilicet Morine, tu te armans galeâ aduersus leuiores, quos tibi præsagiebas morbos, minimo lapillo inte incidente, ita grauiter vulneratus es: Gassendus verò capite nudo cadentem è cœlo incudem tantam excipiens, te sen-

tire quidem eius ictum potuit? ô igitur illum fœlicem! ô te infœlicissimum!

I nunc, cum tam bella, tamque decantata & repetita tua Prædictione, ac erige illam in trophæum Astrologiæ tuæ Gallicæ. Gassendum copulando cum Ioanne Pico Mirandulano & Sixto ab Hemminga, quibus similia prędicta fuerint, similiáque contigerint; Ego te certè copulabo cum ipso Cardano, qui non fuit secùs sua Astrologia fascinatus, quàm ipse tua es; tametsi is aliundè tam distet à te, quàm cœlum à terra, aut gemma à luto. Scilicet de illo Sixtus ab Hemminga id, quod exstat apud Gassendum pagina 978. hisce verbis habet: *Quid; cum hæc dimanabunt ad posteros, & omneis nationes? Prudentissimus, sagacissimus, doctissimúsque Hieronymus Cardanus, Medicus, & Philosophus, & Astrologus sui temporis incomparabilis, & sine controuersia spectatissimus, liberos suos ex charissima coniuge susceptos, maximo studio enutriendos, & educandos curauit, nec quicquam omisit, quod ad accuratam institutionem, & eruditionem facere videbatur: fata enim illorum in amplissimis illis in Ptolemæi Quadripartitum commentarÿs, & aliis in locis ad amußim descripsit, & expreßit, nè quid deesset, sed omni ex parte prospectum suis esset. Sed accidit interim, vt totam illam Tragædiam, & miserabilem exitum filÿ sui primogeniti Ioannis Baptistæ, in ipso flore ætatis, ob intoxicatam vxorem, iudicio publico condemnati, & puniti, minime prævidérit, aut præsciuerit; neque prædixerit, neque præmonuerit, aut eius generis aduersæ fortunæ alicubi meminerit.* Ego certè cùm te aliunde peiore longè conditione, quàm Cardanum habeam; quatenùs cùm mirum non sit, non vidisse illum in Astris, quod in astris reuerâ non fuit; neque reipsa prędixisse, quod prænosse non poterat, tu hallucinatione ea fueris, vt crediderìs te videre ea, quæ nusquam exstabāt, ac ausus fueris ea prædicere, quæ tibi reuera erant incomperta. Ego, inquam, mihi videor posse illius exemplo exclamare: *Quid? cum hæc dimanabunt apud illos, quibus Morinismi innotuerint? Ille, qui suo ipsius judicio fit prudentissimus, sagacissimus, doctissimúsque mortalium Ioannes Baptisma Morinus, apud Gallos è Bellojocensi-*

bus Francopolitanus, Doctor Medicus, & Regius Parisiis Mathematum Professor: Ille, qui sui opinione est Philosophus, atque Mathematicus tantus, vt soluerit Problemata non minùs famosa, quàm ad se vsque insolubilia; & Astronomiam è fundamentis integrè, exactéque restituerit, ac eam longitudinum scientiam omnibus nautis monstrauerit, qua freti deinceps citrà periculum nauigare ad Indos vsque & Garamantas valeant, & in cuius idcircò gratiam præmium ingens poposcerit: Ille qui præcipuè (hoc enim est caput) Astrologus est, non sui modò temporis, sed aliorum etiam omnium sui iactatione non incomparabilis solùm, sed etiam penè vnicus, ísque sibi ipsi spectatissimus, quippe qui in gloriam immortalem gentis Gallicæ editurus quàm-primùm sit Astrologiam suam Gallicam inscriptam, totis triginta quinque annis immenso sudore cultam, comptam, elaboratam, in qua manifestè ostensurus est, omnes alios Astrologos ad hoc vsque opus planè cæcutiisse; quoniam vt in Alis fractis iam præcinuit, Illius diuinæ scientiæ principia fuerunt hactenùs ignota, in isque assignandis errârunt Ptolemæus, Haly, cæterique Astrologorum principes, qui planè venerandam ex se scientiam fucis, figmentis, falsisque principiis verorum loco adornatam, inter alias scientias Doctorum ludibriis exposuerunt: Ille, vno verbo, qui scribendi prurigine, & eminendi præsumptione nuncium remisit amicitiæ, quam cum visus fuisset ab adolescentia vsque amicitiam cum Gassendo colere, librum tamen aduersus illum, malignitatis plenũ composuit, ac deinceps vt oderat eum gratis, ita fouere odium perrexit, vt illo animatus, non modò virus maleuolentiæ, malignitatisque suæ, quà dictis quà scriptis in virum optimum (qui ipsum interim dedignatur, nihilique facit) fudit; sed etiam in figuram eius natalitiam ita inquisiuit, ac illam ita scrupulosè, ita anxiè, ita diù versauit, reuersauit, expendit; vt publicis scriptis iactârit velle se illam exhibere in artis suæ specimen: Quippe vt copulando illam cum Ioannis Pici Mirandulani, & Sixti ab hemminga figuris, ipsam in suæ Astrologiæ trophæum & quasi æternum monumentum erigerit: Ille, ille, inquam, Morinus, vbi anticipatò voluit palam, públicéque fidem facere, quanta esset suæ artis certitudo; quàm esset diuinæ suæ Astrologiæ consummata perfectio; quàm

immensæ spei foret ille fœtus, quem totis triginta, ac ampliùs annis parturijsset, ipsius Gassendi figuram elegit, ac post tam diuturnum, tam sollicitum, tam affectatum illius examen, prædixit illi, ac pronunciauit non priuatim, non semel, sed publicis scriptis, idque bis, aut ter, fore vt grauissimè ægrotaret, moreretúrque ad finem Iulij, Augusti-ve initium anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi, & Gassendus tamen neque illo tempore, neque diù ante, neque etiam post, vel minimum quidquam vllius morbi sensit; imò ea sanitate fuit, quâ esse perfectior, constantiórque non potuit. Sed hactenùs quidem & hac quidem vice, Morine, de tua Prædictione.

Nunc ad Prefationem intermissam redeo, in qua dicis primò Gassendum *debacchando, mordendo, cauillando, quæstiunculis plusquam mille inanibus nugando, varijsque modis alijs irruere in Astrologiam judiciariam.* Sed tibi nimirùm, Morine, vt debacchationes, cauillationesque, ita acerrimi, & ad vnum vsque lacerantissimi morsus sunt illę Gassendi instantię aduersùs Astrologiam, hoc est cutem, carnémque tuam, qua esse sensibilior non potest. *Tibi illæ quæstiones inanes, atque nugæ* sunt, qui tam vastâ es nugatoriáque inanitate vt integer rationum orbis ad illam comparatus puncto minus sit, planè vt totus Mundus est ad imaginariorum spatiorum, in quę ablegare chimæras bombinantes moris est, infinitudinem comparatus. Addis subinde facere id illum *adinstar Pici Mirandulani, Alexandri de Angelis, Sixti ab hemminga, & aliorum, qui faciem ipsi huius diuinæ scientiæ æquè ignaro pratulere.* Et non negauit quidem ille vnquam, imò semper est ingenuè professus per quos profecerit, verùm quod obscurè hîc subinnuis ac dicis aliàs expressiùs *nihil habere illum rationum, quod ex tribus illis authoribus non desumpserit*, expecto quousque catalogum omnium, quæ ex illis putas desumpta, contexueris, vt patefaciam quàm angant te, quæ illum ex se instituisse monstrabo. Quòd ipsum æquè ac illos gnarum tuæ scientiæ facis, bene est: abest enim ille vt se virorum eruditorum, celebriúmque vel minimo superiorem jactet; cùm se etiam illis inferiorem habeat, quòd multa ab illis edoceri valeat. Id te angit, miser, quod cùm videri semper

ſemper volueris docere illum aliquid, extorquere tamen ab eo non potueris, vt te hominum futiliſſimum reputans, didiciſſe ſe abs te aliquid fateretur. Argumento eſt vel illud, quod habet in ſuâ aduersùm te Apologiâ, paginâ 17. his verbis: *Sed fac occaſionem hac ipſâ de re diſſerendi non incidiſſe; fac me eam vltrò declinaſſe, ne bilem mouerem opinioſiſſimo amicorum; An verti poteſt crimini, quod ſic debuerit exacerbari? At, inquit, ſi dum toties illum inuiſerem; ſua dubia vel difficultates mihi propoſuiſſet* (hæc ſunt tua verba, Morine) *poteram illum ab abſurdis infrà exponendis, & vtrumque noſtrum à ſcribendi labore, & me præſertim ab expenſis liberare. Næ, ego infælix, & merito meo meritiſſimo imperitus, qui Doctorem tantum, tamque officioſum non ſim dignatus conſulere, & veritatis ſitiens noluerim bibere ex fonte!* Id etiam te angit ſpeciatim circà Aſtrologiam, quod tibi dictum retulit, quodque ſuperius ex eadem petitum Aſtrologiâ repetere hîc non pigebit. Verba nempe illius ſunt. *Autumnus erat ſuperior, cum commendante illo* (hoc eſt, te, Morine) *ſuarum prædictionum fœlicitatem, & obijciente non aliam ob cauſam rideri à me Aſtrologiam, quàm quod bonas horas in erigendis Thematibus, ferendiſque iudiciis non iuuaret impendere; Excepi, ſatis eſſe mihi ſemel perſpexiſſe artis vanitatem, quàm & nihil non in dies confirmaret: ac me abeſſe, vt vellem ampliùs infæliciter adeò rem omnium pretioſiſſimam, tempus ſcilicet collocare.* Quibus illud conforme eſt, quod tibi quoque deinceps reſpondens; *petiit à Deo veniam, quod Aſtrologicis iſtis tricis, titiuillitiiſque nimiùm temporis ſua in iuuentute impendiſſet;* ſubiunxitque ſe illud ſaltem *conſequutum emolumenti, vt agnitâ ſemel vanitate, conceptoque odio Aſtrologiæ, occaſionem ſumpſerit impendendi tempus ſolidioribus ac melioribus rebus.* Ac abes tu quidem profectò, vt non tuam Aſtrologiam appellites *ſcientiam diuinam*: quando quidquid probas, ac tuum eſt, id ſtatim diuinum, incomparabileque habes: verumtamen hac de re ſtatim: cùm interim illud ſufficere poſſit, ad diiudicandum nùm diabolica potiùs ſit; quòd Diabolus ſit pater mendacij, & vel ex delecto à te vt perfectiſſimo omnium tuæ Aſtrologiæ ſpecimine, tam perſpicuum

euaserit illam mendacissimam esse. *Non hæres*, inquis, *in obtundendis telis eius stramineis*: Sed sunt illa tamen ex eo stramine, quod vbi in os, tanquàm equus aut asinus assumpseris, sensurus sis infœlix guttur ita miserè lancinari, ita vrgenter obstrui, vt non sine dolore infando præeunte, sis suffocandus. *Nostra*, inquis, *Astrologia Gallica similes tenebras solis instar dissipat.* O Solem tenebris cimmeriis, erebique fumo atriorem! Nempe aliqua lux veritatis affulgere ex illo potest, cuius selectus radius, quem esse putasti splendidissimum, tantá obduci falsitatis caligine est deprehensus, vt ne minimulam quidem lucem veritatis præ se tulerit? *Quam primùm*, inquis, *in lucem edetur.* Quamobrem verò illam non in annum iam nonum, sed in exactum penè quartũ nouennium premis? An-non ob eam causam quâ illam indigitasti Gallicam; sperans nempè illam dicare totius Galliæ Ordinibus, quos conuocandos illicò à Rege Christianissimo, gloriosissimóque annis tredecim maiore præsumis? vt sicut ex Ecclesiæ ærario corrogare stipem voluisti, dicando Comitiis Gallicani Cleri misellum opusculum, cui titulum feceras, *Quod Deus sit*: ita si fieri possit, stipem colligas ex Galliæ totius ærario, tua ipsa Astrologia vel istâ stipe Gallica fiat. Dignum opus, quod si pretio àliquo redimendum foret, id sine eo fieret, vt in ignem conijceretur. Ipsum scilicet tantò magis in nationis dedecus cedet, quantò vt vappa hederam, ità Gallicum præ se feret nomen; Vt interim illam perniciem prętercam, quam nec dum natum monstrum hoc totam in Galliam intulit, vt sicuti posteà attingetur. Subijcit demùm, *velle te solùm qua fronte Gassendus authoritatem Ecclesiæ illuserit, & quid illi imponat, referre.* Quibus demum verbis, ô maligne dæmon! quò secunda vergat falsitas, insinuas.

Lubet porrò primùm quidquid de ea habes, vno tenore commemorare. Sic itaque infis. *Pagina 946. dum sibi ipsi obijcit, quòd Astrologia fuerit concessa pro Agriculturâ, Medicina & Nautica; respondet, à legumlatoribus permissam fuisse eam Astrologiæ partem, quæ posset nonnihil humanam curiositatem sistere, minusque afferre turbarum. Et infrà. Quid porrò mi-*

rum (inquit) si Legumlatores grauioribus rebus intenti, ac interim hisce, aut similibus vnà cum plebe impoſturis præoccupati, non omninò illa prohibeant, quibus ipſimet vt homines ſunt, non omninò derogant fidem? Cæterùm quæratur à Gaſſendo, quinam ſint illi Legumlatores? nam vafer homo neminem nominare voluit, ne de Eccleſiæ authoritate prauè ſentire euidentiùs conuinci poſſet. Nunquid maximo Gaſſendo etiam Epiſcopalis Eccleſiæ Dinienſis Theologo atque Præpoſito ignotum eſſe potuit vltimum Concilium æcumenicum, ſcilicet Tridentinum? Nunquid inſigniores & vniuerſaliores in toto Orbe terrarum Legiſlatores circa rem hanc proferre poteſt, quàm fuere Patres ipſius Concilij Tridentini; qui regula 9. Indicis librorum prohibitorum ſic decreuerunt. Permittuntur autem iudicia (ſcilicet Aſtrologica) & naturales obſeruationes, quæ Nauigationis, Agriculturæ & Medicæ artis juuandæ gratiâ conſcripta ſunt. Quo ſanè decreto liber tertius de diebus decretorijs Galeni Medicorum Principis admittitur; in quo habenda eſt ratio Thematis cœleſtis ad momentum natiuitatis, & incipientis morbi, pro ijs, quæ ad vitam, & valetudinem ſpectant. Igitur de his potiſſimùm Legiſlatoribus, imò de ſpiritu ſancto illos illuminante, inſpirante, ac dirigente intelligendum eſt, quod Gaſſendus ſuprà aſſeruit. Id verò quam ſit falſum, hæreticum ac impium nemo non videt. Nec habet ipſe quidquam, quo ſibi excuſationem prætexat; quandoquidem neque ipſe, neque eius cultores fatebuntur illum peccaſſe ignorantiâ Concilij Tridentini, proindéque concludendum ſit, ipſum multò reuerentiùs tractare ſui Epicuri dogmata, quàm Decreta Patrum Synodi (neque enim moror, quod dixeris Synodus) *Tridentinæ.*

Priuſquàm aliquid ad iſta reponam, operæ-pretium eſt referre ex Gaſſendo locum integrum, quem tu tam malignè detorques. Referendum tamen eſt priùs quod ille obſeruauit, preſignificationes ex Aſtris, quæ fuere Ariſtotelis, Platonis aliiſque antiquioribus temporibus in Græcia notæ, non fuiſſe illas, quæ attinent ad tuam iudiciariam Aſtrologiam, quæque fuere primùm à *Beroſo* ex gente Chaldæorum in Græciam inuectæ; attinentes purà *ad humanos præſertim euentus*: cuiuſmodi ſunt *Coniugia, liberi, amici, digni-*

tates, diuitiæ, pericula, morbi speciales, tempus, ac genus interitus, cæteraque innumera his opposita vel affinia (dico autem præsertim, quia ex eadem arte, & per figuram Genethliacæ similem iactant Astrologi prædicere se *varietates aëreas, atque adeò frigora, æstus, ventos, pluuias, insuperque fœcunditatem, sterilitatem, morbos generales, & similia*) Præsignificationes, inquam, illis notas temporibus non fuisse huiuscemodi, sed illas fuisse, quæ & tunc & deinceps fuerunt, ac etiam-num sunt apud nationes omnes in vsu; solæ nempe *Iudicationes, seu pranunciationes pluuiarum, ventorum, æstuum, siccitatum, aliarúmque mutationum aëris, pro eo tempore, quo oriuntur, aut occidunt sidera, vt Pleiades, Canis, Orion & alia.* Neque verò est reticendum, quod rem constare Gassendus ait *ex Hippocrate, & Platone, qui speciatim id de Hesiodo, & alijs scriptoribus in Epinomide memoret; cùm & eodem spectet, quod septimo libro de Republica, rem esse dicit vtilem non scientiæ militari minùs, quàm Agriculturæ, atque Nauticæ.* Non reticendum rursùs, quòd cum istas quoque præsignificationes esse vt inconstantes, sic incertas deducat, Aratum cum Gemino non improbet, *quòd falsa existimans mutationum aëru signa, quæ referebantur ad ortus, & occasus siderum; vsus fuerit aliis à natura datis: cuiusmodi sunt colores, qui in Sole, aut Lunâ apparent, dùm oriuntur, aut occidunt; itemque halones, & similia; quoniam cùm ista in aëre sint, connexionem quandam cum pluuiâ, serenitate, vento, calore, aliisque aëris affectionibus habeant: cuiusmodi quoque sunt motus brutorum quorumdam animalium, quæ vt sentiunt, ita præsentiunt, & iam incipientes, & inualescentes mutationes aëris; vt varios proindè motus obeant, varios sonos edant.* Scilicet hæc sunt de quibus initio loci illius agitur, qui hoc denique tenore habetur.

Ergo huiusmodi euentus nulla arte prænosci, aut prædici poterunt? fateor, ac eminùs præsertim; nam sunt alioquin illa signa, ex quibus concessimus posse aliquid cominùs, seu aliquo breui ante tempore sciri, ac prædici. Igitur Astrologia ne probabiliter quidem aliquid de istis conijciet, eritque prorsùs inutilis? Videtur profectò; neque opus est, vt ex ante dictis quicquam repeta-

tur. At ergo frustrà leges sunt, quæ Astrologiam tolerant in ijs, quæ ad Agriculturam, Medicinam, Nauticam spectant? Dico huiuscemodi leges ita videri accipiendas, vt accipiuntur ceteræ, quæ leuiora quædam mala tolerant, vt deuitari grauiora possint: Nempe quia humana mens, noscendi futura nimiùm auida, fertur prona ad persuasiones, quibus Astrologi eam lactant; ideò, vt illam auerterent a nimiùm curiosa, & sollicita inuestigatione rerum; cuiusmodi sunt liberæ actiones, euentus fortuiti, pericula, clades, vitæ terminus, & alia id genus, ex quibus prænunciatis, & vita priuata, & pax publica conturbari solet, ideò, inquam, prohibita hac parte Astrologiæ, permiserunt eam, quæ posset nonnihil humanam curiositatem sistere, minúsque afferret turbarum. Prætextui verò interim fuit, quidquid veri fuit obseruatum de ortu, & occasu siderum in ciendis ventis, aut pluuiis; de Luna plena, aut vacua, crescentéque aut decrescente, dum plantæ seruntur, inseruntur, putantur; dum vena secatur, aut sorbetur potio; dum æstuat, aut sedatur mare; idque præter illa de pallida Luna pluente, rubicunda flante, alba serenante, aliáque similia, quæ tametsi judiciariæ Astrologiæ nequaquàm sint, spectare tamen ad eam creduntur, Astrologíque ea venditant, vt si per artem illam suam aut haberentur, aut probarentur. Hinc profectò videre licet quosdam Medicos, dum quæsita maiore quadam cœlestium rerum notitia, quam habeatur à ceteris, videri volunt præcellere, mira iactare confidentia nullos se ægrotos, ac Optimates præsertim, curare, nisi ex inspecto natalitio Themate; itemque alio constituto ad reuolutum præcisè annum; ac rursùs quoque alio ad ipsum tempus decubitus; itemque alijs ad tempora præcipuorum symptomatum; cùm tamen aut nihil tale præstent, aut inutiliter laborent; ac tacitè interim spectent ad eadem præscripta Medicorum Principum, quæ alij sequuntur. Quid porrò mirum, si Legumlatores grauioribus rebus intenti, ac interim hisce, aut similibus vnà cum plebe imposturis præoccupati, non omninò illa prohibeant, quibus ipsimet, vt homines sunt, non omninò derogant fidem? Addo autem præter mentem Legumlatorum esse, quod Astrologi ità detorquent hanc tolerantiam, vt perindè sit, ac si vniuersa Astrologia toleraretur. Nam qua ratione ex Astrologia cognoscere licet

agri complexionem; licet & mores complexioni congruos; & qua ratione cognoscere licet morbi tempus, vehementiam, durationem, periodum; eadem, diuturnam, aut breuem vitam, tempus mortis, & alia omnia, quæ à legibus prohibentur. Vt verbo autem dicam; si quis veritatem Astrologiæ ex hac tolerantia confirmari existimet; est sanè, cur ex sæpiùs repetita prohibitione, eius falsitatem improbandam putet. & sic quidem se locus integer habet.

Quæso verò quis, nisi ex Orco emissus, qualem tu te nominas, dæmon, elicere hinc cogitarit *authoritati Ecclesiæ illudi, & aliquid ipsi imponi*? Quæratur, inquis, à Gassendo, *quinam sint illi Legumlatores; nam vafer homo neminem nominare voluit ne de Ecclesiæ authoritate prauè sentire euidentiùs conuinci posset*. O te vaferrime impostorum! ô te malitiosissime, ac improbissime hominum! Et istud-ne quæri à Gassendo petis, vt vafritiei, quòd nominare neminem voluerit, tribuatur; cùm ille tamen quidquid sentit; adeò sincerè, adeò ingenuè, adeò perspicuè efferat, vt inferatur neminem posse ab eo nominari, quin *de Ecclesiæ authoritate prauè sentire conuincatur*; cùm nemo tamen authoritatis Ecclesiæ reuerentior sit; nemo studiosiùs quantùm in se est, illam sartam tectam seruari procuret? Sed fera nimirùm Erinnys in tuo regnat pectore, tibique cor corroditur, quòd nocendi illi adeò auidus, videas tibi ansam ab eo non præberi, quâ illi expetitum nocumentum inferas; vnde & vt efferatam rabiem quoquo modo exsaties, Acheronta moues, ac tetram subis caliginem, vt cum ex aperta dictione deducere nihil, quod satisfaciat, valeas, interpretationem illius tartaro dignam comminiscaris, virorum malignissime! Quoniam non potes illi vitam improbis desideriis, prædictionibusque infamibus eripere; quoniam non potes in vitæ eius innocentiam inquirere; quoniam non potes ex eius verbis candore plenis eum accusare; supererat tibi, vt ex cogitationibus, quarum notitiam sibi soli Deus optimus maximus reseruauit, criminationem institueres; & quacũque demùm ratione illi vitam eripere tum corporis, tum famæ tentares; idque non ista modò occasione recens, sed etiam ex quo tempore

cœpisti illum gratis odisse; adeò proinde, vt tu is sis, de quo cum Psalte dicere possit, *inimici dixerunt mala mihi; quando morietur nomen eius?* Verùm rumpentur tibi ilia, crepabisque medius, ô nequam! potius quam vel minima ex parte voti tam nefandi fieri compos valeas. Nempe ille semper Deo benè propitio, *erit tanquam lignum* (liceat enim mihi istud dicere) *quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. Non verò sic tu, impie! non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, peribit memoria tua cum sonitu; nomen verò illius in benedictione erit. Quæratur*, inquis, *à Gassendo quinam sint illi Legumlatores?* Vt ego verò (illo tecùm agere dedignante) aliquid reponam; numquid tu vt malitiosissimus, ita ineptissimus es, qui quæri id petis, quod in clara est luce? *Quæratur*, inquis, *qui sint illi Legumlatores, qui Astrologiam circa Agriculturam, Medicinam & Nauticam tolerant?* Et non-ne illi omnes sunt, qui circa huiusmodi artes Astrologiam non prohibent? Dices-ne eos solos, quos tu interpretatus es, (Patres scilicet sacrosancti Tridentini Concilij) Astrologiam permittere circa huiuscemodi artes? Et, si illi soli permittunt, quomodo toleraris tu? quomodo tot similes tui circumforanei homines, qui sub aliorum Principum legibus & moribus viuunt? Et vis, vt ab illo quæratur, quod dictu adeò superfluum est, à quo vberiùs declarando ille tanto iure abstinuit! Ac non hæreo quidem, quin ille pro singulari πολυμαθείᾳ, qua pollet, atque efflorescit, quaque te omnis antiquitatis, & historiæ, omnis germanæ literaturæ, omniũ rerum bonarum ignorantissimũ tuæ ipsius artis incunabula & progressum docuit. Non hæreo, inquã: quin non modò ad nostra ista tẽpora, sed ad quæque etiam antiquiora respexerit; cùm & Platonis meminerit, qui de firmanda legibus Republica agens, retinendam Astrologiam circà Agriculturam, Nauticamque censuit, & leges eorum Imperatorum de maleficis, & Mathematicis, attigerit; circiter quorum tempora vis ipse Galenum Astrologiam nõn prohibitam circa Medicinam testari; ac insuper id nouerit quod illum sępè ex

Tacito de Astrologia loquente inculcantem udiuimus; a Et semper vetabitur; & semper retinebitur.

Sed enim-verò rogitas; *Nunquid illi esse ignotum potuit vltimum Concilium OEcumenicum, scilicet Tridentinum?* grande aliquid, quantum assequor, rudere hîc gestis, asine ad Lyram? insigni quippe apparatu soriten contexis ex interrogationibus, ac ostentas initio rem esse tibi notam Tridentinum Concilium. Esto igitur; poterit illud quoque Gassendo non esse ignotum; neque verisimilitudine caret, quin illud quàm tu meliùs nouerit. Perge, Morine, *Nunquid insigniores & vniuersaliores in toto orbe terrarum Legislatores circa rem hanc proferre potest, quam fuere Patres Concilij Tridentini?* Et hoc quoque esto, Morine, sed perge. *Qui*, pergis, *Regula 9. Indicis librorum prohibitorum sic decreuerunt, permittuntur autem iudicia, &c.* Hîc tantisper siste, ô ignorantissime, & simul tamen presumptuosissime; ita enim liceat dicere virorum: neque enim abs re id repetij, quod & iam antè obieceram, esse te *asinum ad Lyram*; Tu igitur nosti Tridentinum Concilium? Tu legisti vnquam ipsius Decreta? Tu vel tegmine id volumen, quo continetur, attigisti? vt propterea optimum virum, quasi de tanti Concilij authoritate prauè sentientem reum habeas, atque traducas? Dic igitur in qua sessione, quo canone, quo capite *Patres ipsius Concilij Tridentini sic decreuerint, Permittuntur, &c.* ô æquè ignare, & nequam! Quia legisti apud aliquem ex similibus tui blateronibus verba huiusmodi, *Permittuntur*, &c. contineri in Regulis confectis ab iis Prælatis, quos Concilium delegerat, vt negotium circa librorum prohibitionem expenderent: putasti ea verba in ipsis Concilij decretis exstare. En verò vt te doceam, ac tandem addiscas vt res sese habuerit. Cùm iam aliquoties negotium de librorum prohibitorum Indice agitatum fuisset, & qui præsidebant Legati delegissent nomine Concilij ad id peragendum Patriarcham Venetum, Archiepiscopos quatuor, Episcopos nouem, Abbatem vnum, Præpositos ordinum generales duos; tum in ea Sessione, quæ numero decima octaua, & sub Pio IV. secunda, celebrata fuit die XXVI. Februarij, anni 1562.

Sacro-

Sacrosancta Synodus censuit, vt delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librísque quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam Synodum suo tempore referrent, quò facilius ipsa posset varias, & peregrinas doctrinas, tanquam Zizania à Christianæ veritatis tritico separare, déque his commodiùs deliberare, & statuere, quæ ad scrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum causas magis opportuna videbuntur. Cúmque deinceps delecti Patres in id negotium incubuissent, sessione tandem 25. ac vltima, quæ peracta fuit die 4. Decembris anni 1563. (sicque in ipsamet conclusione Concilij, ista fuere Concilij) habentur hæc verba: *Sacrosancta Synodus in secunda Sessione sub sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, vt de varijs censuris ac libris vel suspectis, vel perniciosis, quid facto esset opus, considerarent, atque ad ipsam sanctam Synodum referrēt; audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem, & multitudinem distinctè, & commodè possit à sancta Synodo dijudicari; præcipit vt quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, vt eius judicio, atque authoritate terminetur, & euulgetur.* Vides itaque vt Patres Tridentini Concilij nihil de hac re decreuerint; tantum abest, vt *decreuerint sic, permittuntur*, &c.) Sed totum vniuersè negotium de libris prohibitis permiserint arbitrio, & authoritati Pontificis summi. Tu imaginabaris fuisse publicè in Concilio, & coràm omnibus Patribus disceptatum speciatim, negotium de iudiciariâ Astrologia; & postulatis, numeratis, superantibusque suffragijs, sanxisse Patres decreto suo, Iudiciariam Astrologiam circà Nauigationem, Agriculturam & Medicinam permittendam esse; cùm tamen in Concilio ne verbum quidem seu de Astrologia, seu de artibus circà quas permitteretur, fuerit auditum. An-non igitur, vt malignus, sic ignarus æquè, & præsumpta de te opinione tumens es, cum tuis illis interrogationibus, Nunquid, Nunquid, &c. intolerabiliter insolescis? Verùm, quia & Index librorum confectus, & Regulæ præmissæ illi fuere ab ijs Patribus, qui delecti à Concilio fuerant, & Pon-

tifex summus, cuius iudicio, & authoritati Concilium rem commiserat, tam Indicem, quàm Regulas approbauit speciali Bulla die mensis XXIV. Martij proximè insequuti; adeò supponamus rem sic se habere vt si Patres Concilij Tridentini *decreuissent sic*; & videamus quid inde lucreris.

Recitanda imprimis est integra illa Regula IX. cuius præsumis postremam partem tibi tantoperè fauere. Illa sic habet: *Libri omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Pyromantiæ, Onomomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, Auguria, Auspicia, Incantationes artis Magicæ, prorsùs reijciuntur. Episcopi verò diligenter prouideant, nè Astrologiæ judiciariæ libri, Tractatus, Indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisue casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent. Permittuntur autem iudicia, & naturales obseruationes, quæ Nauigationis, Agriculturæ, siue Medicæ artis adjuuandæ gratiâ conscripta sunt.* Iam tu Regulam, quà ad tuum institutum facit sic refers; *Permittuntur autem iudicia (scilicet Astrologica) & naturales obseruationes*, &c. Sed, ô falsifice, ô plagiarie! siccine ergo declamasti sentire prauè Gassendum de authoritate Ecclesiæ, de decretis Patrum œcumenici Concilij Tridentini, vt illud denique non possis, nisi textum falsificando, nisi verbum interpolando, de quo agitur, quod tibi controuertitur, sine quo prorsus inermis es, cuius defectu deprehenderis sicut manifestissimus, ita nequissimus impostor? Verbum aliundè, quod neque Patres delecti à Concilio, neque Pontifex ille summus esse adhibendum censuerunt; cùm tam facile illis fuisset dicere *judicia Astrologica*, si *astrologica* intellexissent? Sed nempè reiecerant iam *iudicia Astrologica*, vt potè quæ libris & tractatibus Astrologiæ iudiciariæ continerentur, ac supererant quædam alia magis propriè in hoc negotio appellata Iudicia, de quibus statuendum quidpiam videretur. Quippe vt res clariùs dicatur; Complectitur Regula hæc IX. libros omnes Diuinatorios, àc in tres partes, vt attendenti perspicuum est, diuiditur; quarum tam Prima, quàm Secunda prohibitos li-

bros recenſent; Tertia illos, qui permittuntur. Nam primùm quidem, libri omnes, qui docent quidpiam diuinare per Geomantiam, Hydromantiam, &c. prorsùs prohibiti declarantur. Secundò verò, quaſi libri qui Diuinationem per Aſtrologiam Iudiciariam inſtituũt, ſint ob ſpecialem ſuperſtitionem ceteris periculoſiores; ideò ſpecialis cura Epiſcopis mandatur, vt diligenter, nè ij legantur, habeantur-ve prouideant. Tertiò demùm quia Medici, Agricolæ, Nautę ſuas diuinationes habent, dum Medici per eas quas vocant græcè κρίσεις & latinè iudicia, ægrum moriturum, aut conualiturum prædicunt: Agricolæ, & Nautæ non modò generaliter ex obſeruatis ortibus, occaſibúſque ſiderum, Solis, & Lunæ coloribus, ipſius Lunæ phaſibus variis, itemque Halonibus, Iridibus, motibus, vocibúſque animalium, & ſimilibus, ventos, pluuias, tempeſtates, ſerenitates, ſiccitates, æſtus, aliáſque aëris mutationes præſagiunt; ſed ſpeciatim etiam Agricolæ ex pluuia, aut ſiccitate tali tempore contingenre, ex niue copioſa, aut parca, diuturna aut momentanea, &c. futuram anni vbertatem, ſterilitatem-ve prænunciant: Et Nautæ ex certis vaporibus, certis maris coloribus, aliiſque id genus futuras procellas, aut tranquillitatem prænoſcent. Quia iſta, inquam, legitimè fiunt, ideo poſtrema Regulæ parte permittuntur Iudicia; libríque adeò, qui de illis tractant; vt tres Galeni libri, qui de Criſibus ſiue iudiciis inſcribuntur; quia Medicæ artis iuuandę gratiâ conſcripti ſunt. Itémque naturales obſeruationes, quæ Nauigationi, & Agriculturæ conducunt: Ac adeò libri iſtarum artium iuuandarum gratiâ conſcripti, vt Heſiodi opera, & dies, Arati phænomena, Virgilij Georgica, & alij. Ex hiſce igitur deductis; apparet Iudicia, de quibus in eiuſmodi nona Regula agitur, non eſſe Aſtrologica, vti tu gratis ex teipſo, temeréque inreriicis; Sed Medica potiùs; ac admitti adeò iuxta illam debere primò, ac præcipuè tres, quos dixi Galeni libros περὶ κρίσεων, *de Iudiciis*; ac deindè, cum duos priores eiuſdem περὶ κρισίμων ἡμερῶν, *de diebus iudicatoriis, decretoriiſ-ve*: tum etiam citatum abs te ſo-

lùm tertium, & quà ille quidem Medicum Philosophum sapit; dies 7. 14. & 20. tanquam Criticos obseruantem; non autem quà superstitiosum, comminiscentem quidem subtiliter mensem dierum non prorsùs 27. vt cur dies 20. potiusquàm 21. sit criticus, ratiocinetur; sed ridiculè commentum probantem ex Ægyptiorum quisquiliis, quas ipse-met deliria in libro sexto simplicium medicamentorum appellat.

Porrò &, vt aliundè ostendam non fuisse eam mentem, neque delectorum à Concilio Patrum, neque Pij IV. Pontificis maximi, à quo Regula approbata, quam tu illis tuâ interpretatione affingis, dum ea *iudicia* esse *Astrologica* supples, & curari homines vis, *habita ratione Thematis cælestis ad momentum Natiuitatis & incipientis morbi*, &c. (cùm & vel ex solo natalitio, alia omnia, quæ sunt homini euentura, posse præcognosci, ac prædici contendas) oppono esse Interpretem omni exceptione maiorem, Sixtum nempe V. Pontificem, & ipsum Maximum, qui annis non ampliùs viginti vno, à Regulæ approbatione Pontificatum summum adeptus, poterat sanè meliùs, quàm tu, & confectorum Regulæ, & approbatoris Pontificis mentem pernosse. Is igitur condidit Bullam, quâ absque vllâ limitatione damnauit Astrologiam, tanquam execrandam, abominandam, solis idololatris dignam. In eâ scilicet describuntur primùm *Astrologi leuißimi, & temerarij homines, olim Mathematici Genethliatentes, diuinaque dispositionis ordinationem suo tempore reuelandam preuenire audacißimè satagentes; qui hominum natiuitates, seu genituras ex motu siderum, & Astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura, siue etiam præsentia, & præterita occulta; atque ex puerorum ortu, & natali die, siue quauis alia temporum, & momentorum vanißima obseruatione, & notatione de vniuscuiusque hominis statu, conditione, vita cursu, honoribus, diuitiis, sobole, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variisque discriminibus, aliisque prosperis, & aduersis casibus & euentibus præcognoscere, iu-*

dicare & affirmare temere præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis; in miserandam animarum suarum ruinam; graue fidelium scandalum, & Christianæ fidei detrimentum, dum futuros rerum euentus & quæcunque prospere vel aduersè obuentura, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris, sideribúsque adscribunt, eisque eam facultatem, vim seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, vt sic omninò, nec aliter euentura sint, atque ob eam causam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palam venditare non dubitant; quibus non pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli & imprudentes tantam fidem præstant, vt ex huiusmodi Iudiciorum & prædictionum præscripto aliquid certò esse credant, aut sperent; quorum sanè & mendacium magistrorum temeritas, & in fœlicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis literis admoniti, &c. Deinde verò ipsa sententia in hunc modum insequitur.

Hac perpetuò valitura constitutione, Apostolica authoritate, statuimus, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque dictæ Astrologiæ judiciariæ artem exercentes, &c. aut facientes judicia & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur; quàm contrà alios vtriúsque sexus, &c. tam Episcopi, Prælati, &c. quàm inquisitores, diligentiùs inquirant, & procedant; atque in eos seueriùs canonicis pœnis, & alijs animaduertant. Constat porrò ex Bullæ huiusce tenore, haberi ipsam meritò, quasi ampliationem, vberioremve declarationem IX. illius Regulæ, qua parte ad Astrologos spectat, *mandando etiam Episcopis*, &c. cùm tamen nullo modo excipiat *Iudicia Astrologica* circa Medicinam, imò illa potiùs complectatur iis verbis, *facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, &c. aliquid euenturum affirmare audent*; Quippe cùm nullus magis contingens futurus successus esse valeat, quàm mor-

bus, & ex morbo conualescentia, aut morbum mors insequutura, vt præclarè tibi obiectum à Neuræo fuit, cùm cauillante te istam Bullam esse ex mente optimi Patris Condereni interpretandam; excepit verba esse Religiosi Patris, *ius canonicum, & Sanctos Patres damnare pluribus in locis diuinatricem Astrologiam Ethnicam, & hæreticam; cùm judicia facit de rebus contingentibus; & prædictiones de rebus contingentibus ex Astris factas prohiberi etiam Bulla Sixti* V. *contra Astrologos*, &c. Ac tùm quia iam prædixeras moriturum Gassendum anno 1650. vt ostenderet id esse contingens subdidit; *fieri potest vt ille moriatur; fieri etiam potest, vt non moriatur; perire potest veneno, cæde, submersione, extritione; potest similiter non perire, idque ex mente scholæ, & vera contingentium definitione: Astrologus Morinus judicium de hoc contingente instituit: Igitur etiam ex mente Patris Condereni Astrologus Morinus damnatur à iure Canonico, ab Ecclesiæ Patribus, à Bulla Sixti* V. *tanquam diuinator, ethnicus, & hæreticus; etiamsi certò se non affirmare asserat, vti habet Bulla.* Et sic ille quidem anticipatò, cum liceat iam adhuc magis ex post-facto idem tibi obiicere, & inculcando quidem præsertim illam Bullæ clausulam, *etiamsi id se non certò affirmare asserant*; cùm hæc iam ante tibi fuerit singularis euasio; quæ proinde cùm reprobata à summo Pontifice sit, nihil iam subest cur non damnatus à summo Pontifice conuincaris.

Vt verò occasione etiam à Neuræo (ex tua saltem interpretatione) mihi exhibita, conuincaris ab alio quoque summo Pontifice damnatus; obiecerat ille tibi Bullam aliam, qua Vrbani VIII. ante annos viginti, extremo etiam supplicio damnauit Astrologos, qui ex natalitiis virorum, Principum, Magnatumque Thematibus *Astrologica iudicia* instituunt. Tu verò ad hanc bullam Respondens, excusasti, *protritam rem esse Parisiis, & magis etiam adhùc Romæ, fuisse Vrbanum VIII. doctum Astrologum, qui potuerit quidem aliundè sua authoritate damnare Astrologiæ super virorum Principum natiuitatibus abusum (qui frequens admodum Romæ sit) vt Rex vetare in suo Regno vsum Arquebusæ, & venationis, propter abusum & periculum potest; at non possit tamen summus Pontifex dam-*

nare Astrologiam, *neque bonum illius vsum*; *alioquin enim damnaret Concilia*, *quæ ipsum circa Agriculturam*, *Nauigationem & Medicinam permiserunt*, *vt legitur in Regula* IX. *indicis Concilij Tridentini.* Quo loco prætereo imprimis, quam iniuriam facias almæ vrbi Romæ, illisque adeò, qui in ipsa viuunt, dùm tantum abusum illis imputas. Prętereo & illam, quam non obscurè facis memoriæ tanti Pontificis, dum, vt te excuses, rumorem citas, quod ille quoque fuerit *doctus Astrologus*: quanquam ex eo, quod Astrologiam tam eximiè calluit, deberes ipse tantò magis illius Bullæ acquiescere, quantò magis accedente ad authoritatem peritiâ, id quod damnauit, perspectum habuit. Duo quædam solummodò obseruo? Vnum te ad irreuerentiam, quâ, prout è re tibi est, ità impudenter, quid Pontifex summus possit, vel non possit, definis; addere crimen flammis expiandum, cum vis *summum Pontificem non posse*, *quin damnet Concilia*, *damnare Astrologiam*, *quatenùs habetur in Regula* IX. *Indicis Concilij Tridentini circà Agriculturam*, *Nauigationem & Medicinam*: Siquidem cùm ostensum sit huiscemodi Regulam, quâ parte de Agriculturâ, Nauigatione & Medicinâ loquitur, nihil habere de Astrologiâ, nisi prout tu ad vocem *iudicia*, adiicis *Astrologica*, ideò textum falsificas, vt inferas Papam damnare Concilium: Alterum, dùm contendis Vrbanum VIII. quia germanum Astrologiæ vsum circa Magnatum natiuitates damnare non potuerit, abusum illius dumtaxat damnasse; non posse te vllum ostendere vsum, qui abusus non sit, quatenùs ille semper erit de futurâ re contingente, veluti de morbo, de morte, de bello, de pace, de prælio, de victoriâ, de coniugio, de liberis, de itinere, de proditione, de seditione, ac vniuersim de cœteris, quæ contingentia omnia cùm sint, notum est abusum fuisse declaratum à iure Canonico, Sanctis Patribus, Sixti V. Bulla. Cùm verò effugium tibi paràris ex IX. illa Regula, quæ in Concilij Indice est; omnia-ne, quæso, quæ ex Magnatum natiuitatibus prædicis ad tria illa capita terminētur? An multus es in prædicendo, quæ ad illorū Agriculturam, & Nauigationem, pertineāt! Ipsine nihil aliud prędicis quàm quę ad Medicinā

ſpectant, cuiuſmodi ſunt morbi, illorum cura tio, aut mors? Et quàm multa norunt omnes, te prædicere de cæteris illis, quæ recenſui, capitibus, ac pluribus aliis? Et negare-ne potes, quod te ſibi dixiſſe Gaſſendus in Apologia, ac loco illo antè citato retulit, *Contigiſſe Magnatum vni inter cætera nuptias iis ipſis quibus præmonueras, Lucalibus contrahere*; cùm tot ſuperſunt nobiles teſtes ex vtráque familiâ, apud quos idem-met iactaris? Potes-ne negare id, quod publico ſcripto prodidiſti, prouidiſſe ac agnouiſſe te in figurâ Gaſſendi natalitiâ (tametſi ille ex magnatibus non eſt, ſed par ratio eſt, quatenùs de vſu, abuſu-ve tuæ artis agitur) *quod foret illius ingenium, quæ ſcientia, quæ fama, qui mores, quibus quantis-ve amicis fælix, quo publico munere anno certo donandus?* &c. quæ refero ſolùm vt cùm perſpicuum ſit iſta tam multa neque ad Medicinam, neque ad Nauigationem, neque ad Agriculturam ſpectare, perſpicuum ſit quoque ipſa omnia meri eſſe abuſus; idque nonmodò ex Canonibus, Patribus. & Bullis; ſed ex illa IX. Regula, quæ tibi eſt vnicum Firmamentum. Sed ad Principes, Magnateſque vt redeam, quæſo, abuſus-ne non ſit magnus inquirere, vt te facere gloriaris in ipſius Principis vitam, cùm ex morte illius vel vni hominum reuelata, machinationes, coniurationes, factiones, & quæ ex illis ſolent pullulare, mala exoriantur! Non abuſus eſt, ô Morine, quod tibi coràm tot reuerendis, nobilibuſque teſtibus exprobratum fuit, cùm admiſſo ad menſam magni, illuſtriſque Præſulis, & Philoſophici operis Gaſſendi ſuborta mentione, debacchari in illum tuo more incipienti, os compreſſit nobilis Abbas, cauſatus te id facere, quod Gaſſendus tuam Aſtrologiam inuincibiliter expugnaſſet: ac debere te ſuppudere, iactare illam adhûc, poſtquàm fuit tot, tantorúmque per totam Galliam malorum cauſa; diſſuaſo abs te credulo Miniſtro, ne Pacem Reginę optimæ ſuaderet, quoniam futurum prouideres ex Themate eius natalitio, vt miniſterio excideret, vbi pax primùm peracta foret. Itaque, cùm nullum etiam tibi pateat adversùs aliam illam Bullam Vrbani VIII. effugium; nihil eſt euidentius, quàm te non ab vno Pontifice ſummo dumtaxat, ſed etiam à duobus damnatum conuinci.

Hiſce

Hiſce ita ſe habentibus, id peruideamus, quod ſupereſt. *Igitur*, inquis, *de his potiſsimùm Legiſlatoribus* (hoc eſt de Patribus Tridentini Concilij) *imò de Spiritu Sancto illos illuminante, inſpirante, ac dirigente intelligendum eſt, quod Gaſſendus ſupra aſſeruit : id verò quàm ſit falſum, hæreticum ac impium nemo non videt*. O tu falſarie ! ô tu hæretice ! ô tu impie ! Exíſtimaſti igitur, quia hęc tã inſolenter; tam impudenter, tam virulenter, tam inuidioſè, tam malitioſè, tam calũnioſè aduersùs virum optimum ore impuro, ore infami, ore cerbereo euomeres, neminem fore, qui tuam tantam malignitatem, improbitatem, impoſturam reprimeret ? Erit-ne verò, qui ea, quæ ſunt deducta, intellexerit, non ſtatim te eo, quo te ipſe donaſti dæmonis nomine digniſſimum putet? Quid enim ! Gaſſendus homo erit vafer, quòd Patres Concilij Tridentini non nominârit, quos ne nominare quidem potuit, quatenùs illi non decreuerunt, quod tu decreuiſſe illos vis : Tu eris homo ſimplex corde, qui vt tuæ infami Aſtrologię faueas, textum primò falſificas, ac deindè vt ignorantet, ita impiè illis imponis vt id decreuerint, de quo ne cogitârunt quidem? Ergo Gaſſendus prauè ſentiet de authoritate Eccleſię, qui tam ſubmiſsè, tam reuerenter Concilij decreta excipit, tam legitimè, & ad mentem ſummorum Pontificum Regulam illam interpretatur. Tu rectè de Eccleſiæ authoritate ſenties, qui & decreta Concilij, niſi interpolata tuâ falsâ, ſuperſtitioſâque interpretatione non admittis; & ſummos ipſos Pontifices illam Regulam ſecùs, quam tu, interpretantes, pro nihilo habes; Bullas ipſorum floccifacis : & quidquid prohibeant, oppoſitum facis? Ergo Gaſſendus falſum dixit, cùm de Concilij Patribus, id *quod ſupra aſſeruit*, dixit : cùm de illis tamen nihil dixerit, cùm dicere nihil de illis potuerit, quando illi non fuerant, quos tu ipſe fingis, ac Rhetoricaris; tu autem verum dixeris, qui tueri te, niſi falſa interijciendo non valeas; qui inſana credulitate quiſquilias Aſtrologicas, quibus nihil veri ſubeſt, veriſſimas putes; qui comminiſcaris immanes calumnias, vt eas imputes viro innocenti? Ergo Gaſſendus hæreticus, qui quidquid à Conciliis, ſummiſque Pontificibus

constitutum fuit, tanta veneratione exosculatur, & amplectitur; & quod speciatim attinet ad duas memoratas Bullas (præter primam Pij IV. confirmantis Regulam) ita ad vnguem illas probat, & sartas tectas, quantum sibi pro viribus licet, tuetur, vt etiam aduersùs Astrologos eosdem, quos illæ damnant, libros conscribat: Tu verò eris Catholicus, qui in ea, quæ putas Conciliorum esse decreta, plagiarium te præstas; ac summorum Pontificum Bullas ita reiicis, vt illorum authoritatem nisi pro conficta à te interpretatione loquantur, neges? Ergo Gassendus impius, qui nihil aduersùs pietatem committit, tu pius, qui tantæ impietatis te reum facis? I ergò, falsarie, hæretice, impie! quando tam meritò hisce epithetis, quasi laudibus tibi propriis, tibi debitis, decorandus es? quàm affectasti immeritò virum præclarissimum illis deturpare. Pergis, *nec habet ipse quidquam, quo sibi excusationem prætexat, quandoquidem neque ipse, neque eius cultores fatebuntur illum peccasse ignorantiâ Concilij Tridentini.* At neque ipsi excusatione est opus, neque est cur ipse, eiusque cultores fateantur Concilij ignorantiam: I tu potiùs vt malitiosissime, ita ignorantissime virorum; & laqueum eme, ac admoue, quòd ignorantiâ adeò crassâ, supinâque erraueris. *Proindéque*, pergis, *concludendum sit ipsum multò reuerentiùs tractare sui Epicuri dogmata quàm Decreta Patrum Synodus Tridentina.* Hoc loco, nisi omnibus faceres nimis manifestum quàm impotenter, quàm muliebriter, quàm putidè animam eneruem tua cum bile conuomas, haberem profectò, & abundè quidem, quod reponerem: Sed mihi tamen tempero; ac potissimùm quia prouideo fore, vt te deinceps non ita contineas, quin veluti canis ad vomitum redeas.

DE FALSITATE TERTIA, *circà lapidis è cœlo casum.*

SVperest tertia falsitas, quam esse dicis contra naturam; scilicet errasse Gassendum contendis aduersùs Physicæ principia, quòd censuerit lapidem quendam Aquis-Sextiis asseruatum pondo librarum proximè quadraginta, cecidisse in terram, non emersione, casuque ex nube, in qua fuisset genitus, quemadmodum tu existimas; sed traiectione per aërem è monte, ex quo quasi extrusione erupisset. Ego verò, si esse in te quidpiam sanę mentis putarem, demirarer, quî tibi venire in mentem tantillam potuerit, vt hanc opinionem prę aliis tam multis, quæ in tota passim Physica occurrunt, in specimen deligeres, ex quo ceteri Gassendi errores in Physica præsumerentur. Verumtamen, quia te vbique tam bardum, ac stolidum præstas, vt seclusâ malignitate, sepositisque impòsturis, nihil possit te reperiri ineptius; ea de causa nihil demiror, ac potissimùm peruidens te partim quidem fecisse eâ opinionis præsumptione, quòd tua sententia verissima foret, sed partim tamen ac pręcipuè ea vanitate, qua iactare posses tum vidisse te, ac tenuisse lapidem illum præ manibus; tum habere te vnum aliquod consimilis lapidis frustum. Operæ-pretium porrò videtur, delassandi Lectoris gratiâ, lapidis historiam primùm recitare, quatenùs exstat paginâ 1024. potiusquam apponere illam, quæ miserè adeò conseruata abs te est. Gassendus itaque vbi edisseruit, effecírque probabile, non dari lapidem fulmineum, telum, cuneumque appellatum, qui gignatur in in nubibus, elidaturque ex illis, hunc in modum prosequitur.

Appositum est, vt pauca adÿciam de lapide quodam insigni, qui Aquis-Sextÿs adseruatur in Borilliano Cimeliarchio; quandò & Fulmineus habetur, & hoc nomine admodum percrebuit. Annus fuit 1637. ac dies Nouembris 29. cùm sub matutinam ho-

ram x. ille decidit in montem Vassonem Alpium maritimarum vnum, ac inter Gulielmos & Pedonam oppida situm. Erant tunc omnia niue obducta; erat serenissimum cœlum, duoque fuerunt præsertim viri, vnus internuncius, alter in Pago montano degens, qui esse potuerint oculati testes. Nam in ijs quidem oppidis, ac longè etiam procul in alijs insigne murmur exauditum; at qui flammantem lapidem in aëre conspexerint, ij dumtaxat fuere, ac fœmina præterea vna, quæ tamen ad casum, quemadmodum illi, minimè attendit. Illi igitur obaudiere primùm quosdam quasi ictus bellicorum tormentorum ex ijs, quos dicunt Canonas, sed duos præcipuos ac ex ipsis validissimum posteriorem; cuius reboatio dum desineret, subnatum est murmur, quasi quatuor, aut quinque membranaceorum tympanorum; & mox è Buliensi ditione aduenire apparuit Circulus quidam flammeus, versicolorque, & diametri pedum, quasi quatuor (nempe cùm transiit prope spectanteis ad centesimum quasi passum) altus à terra quasi orgyis quinque, ac præter id murmur edens sibilum, qualis est ignium artificialium, fœtoremque præterea, qualis est adusti sulphuris exhalans. Obseruauere subinde decidentem circulum ad trecentos circiter passus, videreque statim emergentem fumum, quasi auem nigricante specie, & candicantibus maculis, nec sine quodam veluti pennarum stridore (sic illi loquuti) eodem reuolantem, cùm & subsequuti mox fuerint complurimi ictus complurium velut tormentorum ex ijs, quæ mosqueta vocant; idque non sine copioso fumo. Accessere postea ex vtroque oppido, qui eosdem sonos inaudierant, compereruntque excauatam foueam, cuius diameter vnius pedis, profunditas trium propemodum foret. Circùm ipsam nix liquefacta, apparente areolâ diametro pedum scilicet quinque. Eius areolæ terra exusta, & calcinati lapides, vt ij etiam fuere, qui intra ipsam foueam. In fundo deprehensus est lapis, qui deciderat, quique effossus visus est vitulino capiti par, sed non-nihil rotundior, & magis ad formam capitis humani accedens. Color metallicus, subfuscus, exquisita durities, pondus vulgarium lapidum grauitatem exsuperans (fuit nempe librarum, quibus illi vsi, quinquaginta quatuor) licet effractis particulis, color interius apparuerit non valde ab alijs abhorrens. Delatum illum non multò pòst ad To-

parcham Dalusij, curauit post vnum, alterum-ve annum Princeps optimus Prouinciaeque Pro-Rex Ludouicus Valesius Aquas-Sextias transferri. Ipse, cùm abessem, dedi operam intercedente eximio viro Ludouico Decormio Bereculio generali Aduocato, vt per virum curiosum, ac industrium Claudium Columbum jurium Doctorem, lapidis pondus exquisitè & exploraretur & compararetur cum pondere aquæ, ad pernoscendum qua proportione ad ceterorum lapidum ac metallorum pondus se haberet. Deprehensum est autem ipsum pendere Parisinas libras (senum denûm vnciarum) triginta octo, & parem aquæ molem (quantùm nempe effluxit ex oppleto vase in quod illè immersus fuit) libras decem cum vnciis tredecim, ac semisse. Vnde ratiocinari licet, habere se quam-proximè lapidis pondus ad pondus aquæ, vt tria cum semisse ad vnum: Et quia proportio ponderis tam silicis, quàm marmoris est ad pondus eiusdem aquæ, vt duo cum dodrante ad vnum, fit vt lapidis huius pondus ad pondus silicis, marmoris-ve, vt quatuordecim ad vndecim sit: & quia aliunde pondus plumbi ad pondus aquæ, vt vndecim ad vnum est; ideò sequitur huius lapidis pondus esse ad pondus plumbi proximè vt vnum ad quatuor; atque ita de cæteris.

Quia porrò cœpi, iuuabit fortè vno tenore accipere ea, quæ Gassendus cohærenter ratiocinatur. Ille itaque in hunc modum pergit. *Iam non esse istum lapidem fulmineum, extrusum-vè è nubibus, vel ex eo constat, quòd cùm decidit serenissimum cælum fuerit, neque nubes esse tam procùl potuerint, vt globi terræ conuexitas ipsas horisonti occuluerit: quando alioquin neque sonus adeò vehemens exaudiri, neque è loco adeò dissito fieri euibratio potuisset: fuit igitur potiùs è terra, seu è monte quopiam vicino extrusus (vt omnia illeic montosa sunt) vi subitaneæ inflammationis, quæ violenter eruperit. Nempe vt interiora montium mineralia marchasitica vt plurimùm sunt; hoc est constantia ex materia metallica quidem, sed tamen impura, commistáque, & degenerante in sui generis lapides: ita abundant maximè hydrargyro, ac sulphure. Tam posse autem Sulphur in terræ anfractibus, quàm in nubium cauis cõcipere ignem seu actione halnitri, seu alia ratione id fiat, manifestum profectò est. Quare & quà Terra aut non-nihil dehiscit, aut incrusta-*

tione fragiliore est, tum prorumpere inflammatum potest; tum si quam forte materiam marchasiticam obuolutam habuerit, accendere, protrudereque. Hac certe ratione is lapis videtur fuisse inflammatus, emissus, & dum traijciendo per aërem circumrotaretur, flammeum circa se orbem creans; quo vsque impactus in terram, in eam penetrauit, obrutúsque fuit, & flamma exstincta, quæ interim tamen præ sui ardore, tum niuem colliquauerit, tum terram exusserit, tum redegerit lapides in calcem. Validissimus interim, & quasi maiorum tormentorum ictus, sonitúsque ob vehementem, rapidámque è terra explosionem, & concrepitantia simul innumerabilia halinitri corpuscula, fuit. Murmur verò illud quasi tympanorum cum sibilatione, ob crebram, atque continentem inflammationem plurium quasi materiæ glomerulorum, & conclusorum halinitri corpusculorum crepitationem, cum proscissione aëris. Stridor ille quasi pennarum; ob repentinam extinctionem in niue & terra humectata; Ictus illi quasi mosquetorum; ob residuos glomerulos, qui intenso ob humidi circumobsistentiam calore, validius concrepuerint. Denique (ne aliquid dicam de fætore sulphureo sua ex materia exhalato) fumus ille teter; ob copiam crassitudinémque vaporis momento creati ex niue liquata, terra commota, suffocatis halitibus; & interstinctus tamen quibusdam candicantibus notulis, ob calcinatos lapides, quorũ cùm aliqui constiterint, aliqui tamen planè exsoluti in cineres excesserint: nisi quod etiam fumi copiâ ante solem positâ, radiis imperuia, atráque visâ, potuerunt quidam glomeruli ita citerius auolare, vt partem à Sole illustratam obuertentes oculo apparuerint candiduli in flamma nigricantis prospectu. Neque morari verò debet, quod ictus validissimi fuerint vno plures auditi: siquidem emitti totidem potuerunt eiuscemodi lapides; imò & plures simùl emitti vna eruptione nihil vetuit; tametsi in varia solitudinis loca decidentes obseruati non fuerint, cùm & sit permirum repertos fuisse duos homines qui ad huius casum sic attenderint, vt propterea potuerit & conquiri & inueniri. Multos certè isti simileis simùl cecidisse memorat Cardanus; referens anno Mdx. cecidisse in agrum Abduæ vicinum, fluuio conterminum, circiter mille & ducentos, colore ferrugineo, odore sulphureo, duritie eximia, quorum vnus pependerit

libras centum & viginti, alius sexaginta. Et admittendum quidem, quod ait, non decidisse sine strepitu; sed quòd ex igne, qui apparuerat ante horas duas, colligit, atque demiratur potuisse tamdiu lapides sustentari in aëre; fabulosum planè videtur. Siquidem & esse ignis ille potuit, nihil commune habens cum istis lapidibus; & isti lapides fuere grauiores, quàm vt reuerâ potuerint etiam vllo impetu venti tandiu suspensi contineri. Sanè vt hoc obiter addam, ille quoque Anaxagoreus, ac tantopere celebratus lapis videtur nostro similis fuisse; quandò tametsi longè maior (fuit enim, vt ajunt, magnitudine vehis) attamen fuit similiter, referente Plinio, colore adusto: & ex Damacho apud Plutarchum, decidit cum flamma pariter circumrotata, trajectionibúsque emissis micante; subijcitque ille, postquàm Incolæ pauore sedato ad casus locum accurrerunt, repertum quidem lapidem; at longè minorem ea specie flammæ, quam per aërem obseruarant. Et tamen quòd tempore eodem Cometes apparuerit, ansam accepit Damachus describendi illum ignem, quasi lapis fuerit ipsemet Cometa; & alij habentes Cometas inter cælestia corpora, credidere proinde lapidem è cælo delapsum. Et ne quid fabulæ deesset, quod Anaxagoras opinatus fuerit (aut creditus fuerit dixisse) Sidera esse lapides flammeos, non modò ipsi attribuerunt, quod hunc lapidem decidisse è cælo crediderit, verùm etiàm quòd longè ante prouiderit illius casum. Quin etiam illi quoque tributum, vt casurum alium prædixerit, non iam in fluuium, sed supra terram, vt idem Plinius recitat; adeò vt quemadmodum alius venerationi habitus apud Chersonesitas fuit, ita hic fuerit in Abydi gymnasio speciatim seruatus: adeò homines fabulis fingendis, amplificandisque sunt nati. Attexere heic possem seriem aliorum plurium non absimilium, qui sereno etiam cælo decidisse commemorantur in Italia, Germania, aliisque regionibus; verùm nihil necesse est, cùm, modo absint fabulæ, non absimilem esse omnium rationem facile appareat.

Audiamus iam quid tu obstrepas, siuè potiùs rudas: si quem enim vnquam sua inuidia, malitiáque excæcauit, & ruditate ipsa rudiorem, stolidiorémque reddidit; tua sanè te hac occasione talem effecit. *Gassendus verò*, inquis, *negat hunc lapidem ex aëre descendisse, sed ab aliquo ex montibus vi-*

cinis intùs ardente extrusum fuisse. Idemque asserit de magno illo Anaxagoræ lapide, cuius meminit Plinius; Imò quamuis Cardanus libro 14. variet. cap. 72. asserat anno 1500. in agro Abduæ coram pluribus testibus cecidisse 1200. lapides ex nube ignita post similes supradictos fragores, colore ferrugineos, & eximiè duros, quorum vnus, pendebat 100. libras; alius 60. Gassendus ait historiam illam esse fabulam, negatque talis ponderis lapides posse in aere sustentari. Imploro hîc primùm oculos lectorum, si Gassendus dixit *historiam illam esse fabulam?* *fabulosum videri*, dixit, *potuisse lapides per duas horas sustentari in aëre*; quod superest autem historiam candidè admisit: Repetantur enim hic illius verba. *Et admittendum quidem, quod ait Cardanus non decidisse illos sine strepitu; sed quod ex igne, qui apparuerat ante horas duas, colligit atque demiratur, potuisse tandiu lapides sustentari in aëre, fabulosum planè videtur. Siquidem & esse ignis ille potuit, nihil commune habens cum istis lapidibus; & isti lapides fuere grauiores, quàm vt reuerâ potuerint etiam vllo impetu venti tandiu suspensi contineri.* Nihil est hîc opus exaggerare, quàm Græca, quàm nulla sis fide; cum tantopere notum sit esse neminem, qui te impudentiùs mentiatur. Sed hoc vt iam mittam, verum est dicere Gassendum *fabulosum videri* (dic etiam esse) *potuisse illos lapides pondo non modò 60. sed etiam 120. librarum, sustentatos fuisse duabus horis in aere*, qui opinatur etiam vapores, ac nubes sola venti actione sursùm sustentari, & statim atque seu vaporis, seu nubis, quasi granula coïerunt in guttulam aquæ, guttulam huiusce modi non posse in aëre sustentari, sed vel ad perpendiculum, vel obliquè, si fortè eam ventus deflexerit, decidere. Age verò tu, qui id non perinde fabulosum existimas, habes-nè vnde nobis probes, aut declares vllatenùs, quî fieri possit, vt non duo lapides illi tanti, sed lapilli etiam vel minimi sustententur in aëre, non per duas horas, non per duo minuta; non per duo secunda, sed vel per dimidium vnius secundi? Quid igitur reponas, videamus. *Ac negat, opinor, quòd videat talem effectum esse incompatibilem cum vi magnetica terræ*, cui motum, & *tractionem grauium attribuit. Suis enim Placitis mordicus adhæ-*

ret,

ret, vt sibi potiùs dentes, quam conceptam opinionem & euulgatam detrahi pateretur. O Impostor vaferrime! Siccinè eludis difficultatem? Siccine elaberis? nè prorsus inermis deprehendaris? Hoc nempe erat valde ad rem, captare occasionem hanc parturiendi belli post diuturnam conceptionem, quasi apophthegmatis, vt conquereris te, tam illustrem Dentiuulsorem, vt industriâ etiam Carmelinum superes, non potuisse adhuc huiusmodi dentem, hoc est opinionem de vi magnetica Telluris ex ore Gassendi eruere, quantumcunque operosè eius rei gratiâ in tuis *Alis fractis* desudaueris; idque quia hic dens tam profundas egit radices, ipséque adeò obstinatus illi non dimittendo est, vt admouere illi manum, quin mordicùs ipsam corripiat, laceretque, non possis? Infœlix! qui non meministi nihil reputari ex communi Prouerbio dentiuulsore mendacius, ac tibi proinde nihil esse commune cum viro amantissimo veritatis. Viro, quem & familiaris conuersatio, & omnia eius scripta declarant nullius opinionis ita retinentem, quin, ratione vel minima illam dissuadente, paratus sit ipsi valedicere; tantum abest, vt mordicùs, obstinatéque illam tueatur. Sed id nimirùm te semper angit, quòd, vt iam ante est obseruatum, obtinere nunquam potueris, vt ille didicisse se aliquid abs te, quem habet omnium rerum bonarum inanissimum, fateretur. Prætereo autem te potius esse, qui opiniosissimus mortalium, mordicùs adhæreas quibuslibet primùm arreptis opinionibus, vt pote quas illicò te demonstratione tenere confidas. Prætereo & te, cum tractione grauium malignè copulare, ac repetere Terræ motum, quasi ipsum Terræ Gassendus attribuerit; neque satis monstrauerit, vt vis terræ magnetica, seu attractrix grauium, possit tam cum Terræ quiete, quàm cum eius motu defendi. Hæc prætereo, inquam, ac obseruo solùm, quàm callidè prætextu iocandi, elabi, vt sepia sub attramento volueris, nè quis te sic adoriretur. Dic ergò, Morine, si incompatibilis est talium lapidum per duas horas sustentatio in aëre cum vi terræ magnetica, quomodo sit potius compatibilis cum absoluta, inhærentéque ipsis lapidibus grauitate? Verùm quamobrem aut

ab alio, aut à m... ...e, cur rem intactam prætereas, ...aoeas penitùs, quo opinionem tam absurdam detendas. Videamus ergo quid Gassendo circa Borillianum lapidem obijcias, & quomodo tuam opinionem fulcias.

Verùm, inquis, *quod lapis supradictus fuerit extrusus ab aliquo monte vicino, det primò testes oculatos, vt superiùs dantur pro contrario in historia huius lapidis, & lapidum tempore Cardani.* Quod ad oculatos lapidum Cardani testes attinet, idem dicendum, quod paullò pòst de oculatis tuæ specialis historiæ dicetur. Quod ad *testes oculatos*, quos dicis *superiùs datos pro contrario in historia huius lapidis.* Ecce imprimis, quid in tua illa, quam hîc citas, historia. *Dicitur*, inquis, *à tribus illis testibus rusticis cælum fuisse serenum, aut non aduertentibus in totum hæmisphærium, aut putantibus vnicam nubeculam non tollere aëris serenitatem. Non viderunt autem lapidem extrudi ab aliqua nube; quippe quòd non obseruarent; sed inopinis apparuit lapis ipse descendens, & cadens in rupem, quam etiam profundè penetrauit, excitato stridore, ac fumo terribili supra foramem factum, nec fractus est ipse lapis ob insignem duritiem, atque pondus.* Hîc rursus vt appareat, quis tibi falsificandi genius sit, quandò noluisti rem vt Gassendus ipsam retulit, recitare (cùm ille tamen quicquam neque addiderit, neque detraxerit relationi testium, qui & iurati & coram Iudice rem vt viderant, ac audierant enarrârunt) iuuat hûc inserere narrationem Honorati Lions Testis primi, ac præcipui, qui obseruauit etiam plures circunstantias, cæteris ipsi circà ea, quæ se vel audisse, vel vidisse narrârunt consentientibus; idque prout relatum fuit in acta publica, quæ & typis mandata à Borillio fuerunt anno 1640. Ita igitur Gallicè primi Testis verba se habent in actis. *Dit que se trouuant le vingt-neufiesme Nouembre, année 1637 premier Dimanche des Aduents, à la cime de ladite montagne, entre les 9. & 10. heures du matin, ou enuiron; il auroit oüy vn bruit, comme vn grand coup de Canon tiré fort pres de luy; & à suitte apres auoir fait cinq ou six pas en auroit oüy vn autre, beaucoup plus grand; ce qui luy auroit donné vn grand estonnement, & l'auroit obligé de regarder de toutes parts, voir si ce bruit estoit causé*

par torrent, ou d'où cela pourroit prouenir. Mais voyant de touts costez vne tres-grande serenité, il se seroit encores plus effrayé, & consideré auec plus d'attention, d'où cela pouuoit prouenir; & sur la fin du bruit de ce grand coup, il entendit encore vn bruit qui luy sembloit estre vn bruit de quatre ou cinq tambours ensemble, lors qu'ils sonnent la charge. Croyant que ce fust quelques compagnies de gens de guerre qui arriuassent en cet endroit, se tourna vers le terroir de Bueil, terre des Estats de Sauoye, d'où il vit venir vn Cercle d'enuiron quatre pieds de diametre, se tenant enuiron quatre ou cinq toises de la terre, esloignée cent pas de luy; luy semblant ledit Cercle composé de diuerses couleurs, tousiours auec le mesme bruit que pouuoiẽt faire lesdits tambours, auec vn soufflement comme fusées; lequel Cercle tomba d'enuiron trois cens pas de luy, & rendit l'air puant, comme soulfre allumé. Ledit Cercle tombé il entendit derechef vn bruit, qui se faisoit au lieu, où il estoit tombé, qui se communiquoit à ses oreilles, comme si vn Coq battoit des ailes, qui reitera par deux ou trois fois: & apres il vit partir du mesme lieu où ledit Cercle estoit tombé, vn oyseau, qu'il compare à la grandeur, & pennage d'vne Pie, retournant par le mesme endroit, d'où il auoit veu venir le Cercle, faisant entendre le bruit d'vne salue de quantité de Mousquetades. L'apprehension que toutes ces choses luy donnerent, l'obligea de s'en reuenir le plus viste qu'il peust dans sa maison, sans aller voir ce que cela pouuoit estre; mais deux iours apres se trouuant dans la ville de Guillaumes, où quantité des principaux d'icelle s'entretenoient du bruit, qu'ils auoient oüy ce iour-là, il leur fit le recit de ce qu'il auoit veu; ce qui obligea les Officiers de ladite Ville d'y enuoyer. A ces fins ils deputarent Messire Honnoré Cabasson, vn des Vicaires de ladite Ville, accompagné de M. Anthoine Durand, lesquels tous ensemblement auec ledit Lions, se portarent sur le lieu, où ledit Cercle estoit tombé. Consequenter autem subijcitur. *Lesdits Messieurs Cabasson & ledit M. Durand en compagnie dudit Lions, attestent pardeuant nousdits Officiers, suiuant la charge à eux donnée auoir esté sur ledit lieu, & treuué ce que s'ensuit. Premierement vn trou d'vn pied de diametre sur la ligne de la limite du terroir dudit Guillaumes & Peonne; ledit Guillaumes estant des Estats de*

France en Prouence, Dioceze de Glandeuez : & Peonne de la Comté de Bueil Estats de Sauoye, mesme Diocese ; lequel trou auroit esté fait par vne pierre qu'ils toucharent auec vne besche, profond d'enuiron trois pieds ; & mesme qu'ils en rompirent deux petites pieces de la grosseur d'vne amandre : & encore remarqué, que à deux pieds & demy tout autour de l'escarre dudit trou ; la neige auoit fondu, & les pierres qui se trouuarent dans la mesme distance, calcinées, & celles de dedans aussi, lesquels pressez de la nuict, & mesme empeschez par la glace de pouuoir tirer ladite pierre, se retirarent dans la ville. Et finalement interrogez, s'ils sçauoient rien plus dudit fait, ont dit auoir ouy dire que Messire Iean Clary Prestre dudit Peonne auec quelques-autres du mesme lieu, estoient allez prendre ladite pierre de foudre, & l'auroient enuoyée à Monsieur de d'Alays.

Tantò hîc lubentiùs ista refero, quantò ipsis cum recitata à Gassendo historia collatis, summa viri fides, & accurata diligentia manifestissimè declaratur ; collatis verò cum ea, quam tu consarcinasti historiola tua, insignis fraus, & dissimulatio cauillatoria detegitur. Primò enim, cùm testes in eo consentiant quod summa vndique serenitas fuerit (*voyant de tous costez vne tres-grande serenité*) tu, qui volebas lapidem non ex monte, sed ex nube aliqua extrusum, decidisse in terram, istud veluti fundamentum tuæ opinionis interpolasti, *aut non aduertentibus in totum hæmisperium superius, aut putantibus vnicam nubeculam non tollere serenitatem.* Deindè, quia vt tu obiicis Gassendo, *det testes oculatos, quod lapis fuerit extrusus ab aliquo monte vicino :* ita obiici tibi poterat, det Morinus testes oculatos, quod lapis fuerit extrusus ab aliqua nube supra horizonte existante (obijcit enim fuisse illos testes oculatos pro contrario) tu quasi ad hoc præparans excusationem, subijcis, *non viderunt autem lapidem extrudi ab aliqua nube, quippe quod non obseruarent, sed inopinis apparuit ipse lapis descendens, & cadens.* Id prætereo, quod adiicis, cecidisse *in rupem* (non autem in lapidosam terram) vt miraculum absurdè adaugeres, *quod profundè etiam in rupem penetrauerit* ; idque non modò ob *duritiem* insignem (quæ non obstitit nihilominùs, ne qui la-

pidem primi detexerunt aliquā ex illo fragmenta decusserint) sed etiam *ob pondus*; quasi verò pondus non contulisset potiùs ad hoc, vt lapis effringeretur? Adnoto autem insuper id, quòd cùm sit præcipuum, tu partim mentitus es; partim etiam dissimulasti, dicens solùm *illis inopinis apparuisse lapidem descendentem & cadentem in rupem*; ac reticens vidisse illos *aduenire ex Bulsensi territorio circulum illum* cum lapide *flammeum, ac ire transuersum*, & quasi horizontaliter, *inque altitudine supra terram quatuor; aut quinque plus minus toisarum, cùm à teste memorato abesset centum circiter passibus*; denique autem *circiter passum ab eodem trecentesimum* transferri desinere, *ac incidere in terram*. Scilicet ista rem decernunt; cùm ex ipsis constet non decidisse lapidem ex alto, sed iisse transuersùm; neque extrusum fuisse ex nube, quæ supra horizontem nulla tunc fuit, sed debuisse ex montoso illo territorio, vnde aduenire apparuit: Debuisse ex latere montis, è quo obliquè transmitteretur; cùm par sit eos, qui ex planitie, ex ima valle, ex montis cacumine emittantur, vt directiùs sursùm erumpunt, ita directiùs recidere. Debuisse illum montem esse valde propinquum; cùm & ictus ille, siue quasi sonitus magni canonis, quo fuit extrusus tam validè aures percelluerit, tametsi ipsa etiam tonitrua, quæ ad duo tria-ve milliaria excitantur, aut non audiantur penitùs, aut obtusissimè aurem feriant; & fragor ille quasi tympanorum fuerit tam breuî pòst auditus; & circulus flammeus tam breuî pòst apparuerit. Dic verò tu, inepte, quid argumenti habeas, vt cecidisse illum probes non modò ex nube, sed etiam ex nubecula, ob quam illi non temerari serenitatem existimârint? Fac enim fuisse aliquam sursùm euectam nubeculam; dices-ne quomodo ex tam pauca, tam laxa, tam tenui materia coalescere tanta, tam densa, tam ponderosa moles potuerit? Quomodo ita cadere, vt casus prope terram visibilis exstiterit? quippe cùm ne globus quidem vocati petardi recidens in terram præ pernicitate concepta, possit conspici; vt probatum accepimus in suburbij Antoniani hortis, cùm præter Gassendum præclari illi viri, Mersennus, ὁ μακαρίτης, Petitus, Neuræus, nescio qui alij, rem

obferuarent; tametfi vnus Neuræus, cum motus aut afcendendo remiffus fieret, aut exfcendendo nondum fieret intenfus, poffet globum detegere. Sed & fac nubem aliquam vltra horizontem vifibilem fuiffe, è qua emiffum dixeris: dicef-ne quemadmodum audiri ex eius eruptione tam validus ictus potuerit? quemadmodum globus tam breuî aduentare? quemadmodum à nube tam procul expelli? Nam poteft quidem extrufio lapidis è terra procul fieri, quòd & lapide ab igne propelli incipiente, tum fit retrorsùm ea terræ moles, quæ igni fuum impetum, fuof-ve ictus reciprocanti, multiplicantique refiftat; tum ob prolixitatem cauernulæ, feu fpatij, quo ignis lapidem agitare ante eruptionem ex terræ fuperficie valeat; qua ratione globus è tormentaria machina procul expellitur, quòd & pars poftica fui mole, firmitudinéque refiftat, & fiftulæ prolixitas occafionem igni multiplicandi impetus faciat, cùm fi, aut ponè refiftẽtia parua, aut prorsùm fiftulæ feries per-exigua foret, vix quicquam globus procederet; vt ex iis, quæ à Gaffendo edifferuntur, intelligi licet. At cùm in nube poffit folùm cogi quidam glomer materiæ, quæ circumquafi incruftata, interiúfque exagitata ignem concipiat, qui cruftam effringat, & profiliat, ac (vt iftud donem) lapidem concreatum propellat; dicere-ne potes quî fiat procùl talis propulfio, cui neutra illarum conditionum adfit?

Oftendat, pergis, *montem effractum, ex quo prodiit ille lapis, & fumum vel ignem ex ipfo montis hiatu afcendentem; horum enim nihil abeo tempore vifum eft, nec circa agros Abduæ tempore Cardani.* Sed vade, inepte, inquifitum montem, laternam quippe deferens tuam, ipfum dubio procul inuenies; publice enim maior eft. Faciliùs certè longè occurret, quàm tua illa nubecula, quæ non modò euanida, verùm etiam nulla, vt tua mens fuit. Quidni verò illum facilè agnofcas, quandò illi femper ab eo vfque tempore, adfuifti, fecùs enim quî affeuerares *horum nihil vifum ab eo tempore*? inepte, inquam, qui cùm rationem, quam reponas, non habeas, quæftionem prætergrederis, cùm dictum indefinitè fit, *è monte quopiam vicino, vt omnia illic montofa funt*; ac perin-

dè facis, vt si dicenti militem interiisse in acie ictu globuli è mosqueto quopiam aciei hostilis emissi; tu existimans talem globulum decidisse ex nubecula, quæreres ex illo, vt mosquetum ostenderet è quo globulus prodiisset. Inepte, rursùs, qui existimas vnius lapidis emissione debuisse totum montem effringi, aut dehiscere. Non potuisse foramen, vel hiatulum terra collabente obduci; Non potuisse materiam in inflammationem collectam, vna accensione, effumationéque exhauriri; vti & exhauritur ea, quæ terræ motus est causa. Inepte demùm, qui reputas quemquam esse, cui tantum vacet foramen, hiatum, fumum per loca deserta, ac inuia, &, vt tunc quidem præsertim erant, niuibus obducta requirere; quantum vacat tibi tam bellas chimęras apud Morfondutos sectanti, nugari. *Probet*, pergis adhùc, *aliquibus historiis lapides supradictis similes ejaculatos fuisse à Montibus Æthna, Vesuuio, & similibus multis circa terram visis, qui continuo intùs ardent; sed dumtaxat fumos, flammas, aut cineres euomunt, ac interdùm lapides aliquos calcinatos, & fragiles, atque leues.* O tu adhùc ineptior, qui cum audiisses fando eructari ex his montibus pumices, requisiisti frustrà huiusmodi nomen, & rem denique partim falsa, partim operosa circumloquutione expressisti! ineptior, qui non aduertisti, quod discrimen sit inter montes, *qui continuò intùs ardent*, & eos, qui toto æuo semel, iterum-ve, aut certè perrarò pusillum ignis concipiunt; cùm & in illis continuus ardor, quos calcinare lapides non potest, ita exedat, vt aliundè quidquid in illis ponderositatem creat, penè absumat; in istis verò ardor momentaneus pręstare idem non valeat; & possit in illis, aut non contineri, aut esse iampridem absumpta eadem illa materies, quam esse debere in istis attigit Gassendus iis verbis; *Nempe & interiora montium mineralia marchasitica vt plurimùm sunt, hoc est constantia ex materia metallica quidem, sed tamen impura, commistaque & degenerante in sui generis lapides*, &c. Ineptior, qui non aduertisti in ipso Gassendi contextu, vbi de terræ-motu agit, quas historias habet de eructatis lapidibus, ex quibus creari potuerint etiam Insulæ; lapidibus, inquam, non sanè calcinatis,

aut pumicosis, siquidem aut exsoluerentur ab aquâ, aut supernatarent; sed planè compactis, solidis, ponderosis, ac initio candentibus, qualis hic noster, dum per aërem transferretur, apparuit. Porrò hactenùs quidem inepte, ineptior! petiisti quidem vt Gassendus tibi aliquid ostenderet; attu, quidpiam-ne ostendisti; quod tuam opinionem veram comprobaret, eiusque opinionem conuinceret falsam? Dedisti-ne quos oculatos testes te retulisse dixeras; cùm ipsemet tamen dixisses non fuisse illos oculatos? ostendisti-ne illam seu nubem, seu nubeculam, è qua lapis prodierit, quamque illi iidem tui testes nullam exstitisse contestati sunt? Probasti-ne aliquibus historiis euomitos fuisse, non ex vna nube, aut nubecula, sed etiam ex strue nubium tanta, quę totum conspicuum hemisphærium occuparet, quæque tonitrubus, fulguribus, fulminibusque scateret, euomitos vnquam fuisse, non dico eiusmodi tantos, támque ponderosos lapides; sed etiam cuiusmodi sunt, cuiusmodique materiam nubium magis decerent, pumicosi? Ac denique, minimam-ne, non dico rationem, sed vel ratiunculæ vmbram attulisti, quâ promissam tantam contra naturam falsitatem patefaceres; ac fuisse eam meritò à te, ex aliis tam multis delectam, monstrares? An quasi rationem illud ostentasti, quod tuæ narrationis fini apposuisti, his verbis. *Eo die Venus, Sol, Iupiter, & Mercurius coniuncti erant in prima medietate Sagittarij, in quadrato Saturni.* O te iam ineptissimum; vt per omnes gradus ineptus, ineptior, ineptissimus reputeris! *Fuerunt eo die Venus, Sol, Iupiter, & Mercurius coniuncti in prima medietate Sagittarij, in quadrato Saturni*: Ergo debuit lapis cadere in rupem, ex nubecula, inter Pedonam, & Gulielmos: ô profectò ter-ineptissimum, qui tuâ fascinatus Astrologiâ, quidvis malis, quàm non ineptus, imò ineptissimus haberi?

Verùm audiamus, quod superest: pergis videlicet hac pompâ. *Cæterùm, vt hac in parte penitùs obmutescat, nec ipse fabulis suos lectores pascat.* Hîc parùm consiste, Morine, ac ne tam citò propera. Tu ergo iam os obduxisti Gassendo, non ex semisse, non ex dodrante, sed ex vnciis plusquàm vndecim; adeò

adeò vt parùm omninò absit, quin illum ex asse mutum feceris; Sanè quidem quantum huc vsque præstiteris, iam visum est; id, quod restat, mox explorandum. *Nec ipse fabulis suos lectores pascat?* ô Morine: ipse fabulis suos Lectores pascat; qui ipse, in eo est totus, vt quasi adhibito pharmaco illos repurget fabulis? Et tu audes hoc de illo dicere? Tu, qui non modò omnium fabulatorum fabulantium fabulosissimus es, sed etiam totus fabula; vt proindè mirum non sit, si vt reipsâ fabula es, ita fabula apud omnes habearis? Eccui enim iam fabula non es, ob tot tantasque illas tuas Astrologicas quisquilias, atque falsitates? Eccui non, ob visiones illas, quarum ipse vnam non recitasti solùm, sed vniuerso etiam mundo scripto publico legendam dedisti his verbis? *Dum circa finem Martij 1635. Vesperi, atque super tubi optici in mundo vsu, atque necessitate, cogitabundus hærerem; ecce nuntius è cælo alacriter aduolans, me improuisum sic alloquitur. Quid, misselle, totus ad Iouem, Lunam, & Solem, tuorum aciem oculorum frustrà hebetas? Hæc alijs relinque, & vtilioribus, ad quæ natus es, incumbe. Maior te gloria manet, si sapueris: quippe Sole etiam super horizontem fulgente, omnes Planetas; imò & fixas mortalium oculos effugientes ipse intueberis. Indéque vniuersæ Astronomiæ restituendæ ratio omnium verissima, maximéque naturalis tibi aperietur, atque hisce dictis illicò euanuit.* Eccui non, ob famosam illam, non modò aduentantis, sed etiam iam pro foribus existentis Antichristi prædictionem; de qua dum ex te quæreretur, quî posset tam citò, ac ipse efferres, expugnare Antichristus tot arces munitissimas; Solitus fuisti excipere; cùm ex relatu eorum, qui ex Sabbatis Magorum adueniunt, dimidia penè hominum pars in Magis sit, ac Magi omnes milites sint, qui Sathanę nomen dedere, quique ab Antichristo, tanquam summo Duce deducendi in militam sunt; fore, vt cùm volet Antichristus expugnare vrbes, quæ spontaneam sui dedirionem non fecerint, eam Magorum nubem emittat sursùm in aërem, quæ supernè irruens stragem tam ciuium, quàm militum inmanem edat. Sed ne ista iam pluribus prosequar, sic pergis, *subjungam adhuc historiam hanc verissimam.* Mo-

rinismus; non quòd propterea detraham enarratori illi tuo, fidem (tametsi ille quoque testis oculatus minimè fuit) sed quò tibi, quia ipse es, qui illam pandis, non sufficiat historiam veram dicere (quamquàm etsi vera non esset, ne historia quidem, sed fabula esset) adeo omnia, quæ tua sunt, superlatura tibi sunt. Pergis, *atque satis recentem, quæ omninò confirmat supradictos lapides in aëre fuisse genitos & excoctos in nube ignea, ex eaque cum fragoribus extrusos in terram, descendisse instar fulminei lapidis.* Itaque aures arrigamus. Sequitur: *Anno 1534. die 27. Octobris, circa horam 8. matutinam, in Comitatu Carolotensi, cuius Dominus Rex Hispaniæ, sed cliens Regis Galliæ; Cælo vndequaque sereno ob Boream, à diebus aliquot flantem; visa est nubes valdè rubra, & flammea, ex qua ingentium primò bombardarum, deindéque catapultarum, & tympanorum fragor, & sonitus prodiere; tandemque copiosa multitudo lapidum ignitorum, quorum maior pars cecidit in stagnum, super cuius aggerem integra transibat cohors militum, qui pauore facti sunt velut mortui, putantes adesse finem mundi; pars altera cecidit in agros stagno vicinos, terram profundè penetrans. Nullus autem homo, vel animal læsus fuit ab ipsis lapidibus. Transactoque horrendo illo spectaculo, plures lapides è terra extracti fuerunt, erantque ponderis à libris 5. ad 8. eiusdem omninò duritiei & coloris cum illo Borillij. Atque hanc historiam, tempus, & circumstantias didici à D. Quarré Carolotensis vrbis Medico mihi amicissimo; qui paulò post litis causâ venit Parisios, & 3. aut 4. ex illis lapidibus attulit, mihique dedit dimidiam partem vnius, qui intus substantiam metallicam referebat, exteriùs verò tegebatur cute coloris ferruginei, spissitudinis dimidiæ circiter lineæ, seu 24. partis digiti; quam adustam esse patebat.* Hactenus historia. Concludis: *Nunquid Gassendus dicet hanc historiam, cuius tot testes adhuc viui supersunt, esse quoque fabulam? vel lapides extrusos fuisse à vicinis montibus, qui nulli sunt?*

Verùm ô Morine! non dicet quidem Gassendus hanc historiam fabulam esse: sed erit cur dicat te esse ipsissimam fabulam, qui illam sic interpreteris, vt contendas *cælo* aliundè *vndequaque sereno*, ac ad eam dumtaxat circùm partem,

qua transibat militum cohors suborta nube conturbato, efformatos potiùs fuisse intra nubem, ac in aëre medio tot huiusmodi lapides, quàm fuisse illos vnà cum nube, hoc est fumo è supposita terra eructatos, inque eandem proindè regionem reciduos. Qui existimes illam nubem fuisse rubram, & flammeam, quòd esset quædam quasi fornax, in qua lapides momento geniti (hoc est ex halituum è terra ascendentium corpusculis coaceruati) excoquerentur; potiusquàm talem fuisse, quòd fulguritaret propter concomitantem lapides extrusos materiam illi similem, quæ circa translatum Borillianum lapidem exhibuit circulum illum flammeum: At, inquis, *tot historiæ testes viui adhuc sunt*? Ego illis vitam non inuideo; sed quinam sunt illi, aut quid-nam testantur? An testes vocas Medicum, aliosque qui deinceps post rumorem disseminatum, ad locum accesserunt, lapides defoderunt, sibi asseruarunt, ceteris dederunt? Illi sanè testes oculati non sunt, qui & quamuis adfuissent, non id testarentur, de quo agitur; se nempe lapides vidisse in media nube generari, ac genitos decidere; potiusquàm è terra eructatos, in altum cum nube euehi, & ex alto recidere. An testes dicis milites, qui supra aggerem transibant, & si qui forte præterea illâc deducebant, habebant-ve animalia, quæ æque illæsa, ac homines fuerunt? Hos dubio procul intelligis; cùm & alij esse non potuerint magis oculati: verùm tu, dum illos describis, *qui pauore facti sint velut mortui, putantes adesse finem mundi*; non-ne tales nobis describis, quales erunt illi, siue milites, siue ciues intra oppida, in quos Magi, iussu Antichristi derepentè ac supernè irruent? Profectò vt isti hallucinarentur, si quia non vidissent Magos infernè è terra emissos, existimarent se vidisse illos generari in aëre, ac inde versum se descendere; sic falluntur illi tui testes, si, quia lapides è terra erumpentes non viderint, dicant vidisse illos se generari in media nube, ac deinde partim in stagnum, partim in agrum decidere. Verùm neque ipsi id dixerunt (tu videlicet non siluisses) neque potuerunt dicere aliud, quàm se & vidisse nubem coruscantem, & audiisse tonitrua, quasi *fragorem, & sonitum bombardarum, cata-*

pultarum, & tympanorum; Vt præteream, quod tu ipse illos exhibes *velut mortuos*, ac vis ipsos fuisse non modò clausis oculis, verum etiam emota mente. Tales haud dubiè fuerunt etiam testes, quibus vsus Cardanus est, cùm tibi ad hanc fabulam præiuit. At inquis, *nulli fuerunt montes, ex quibus extrudi lapides potuerint?* Sed inepte: ecquis tibi dixit lapides non posse nisi ex montibus extrudi? Nam quòd Gassendus quidem *montem vicinum dixit*, fecit non modò crebritas, vicinitásque montium: sed maximè etiam motus lapidis, qui transuersus cùm fuerit, commodè explicari, & intelligi per eruptionem ex laterali, & ad illam partem obuersa montis facie potuit. Quod superest autem, vt intelligatur erumpere lapides potuisse non modò ex agro, sed etiam ex terra, quæ sub stagni fundo; ostendit hoc satis Gassendus ex insinuatis historiis, cùm fuisse aliquas insulas eruptione enatas deduxit. Iuuat hîc locum attexere ex pagina 1050: vbi post recitatos vrbium, aliorúmque locorum absorptus, sic pergit. *Mirabilius videri potest enasci ex opposito non modò in continentibus montes, sed etiam in medio Mari Insulas. Nam de montibus quidem facit fidem Puteolanus ille, quem Simon Portius ita describit, vt fuerit vna nocte ad plusquàm mille passuum altitudinem ex pumicibus, cineribúsque congestus; id nempe sub finem Septembris anni 1538. & quod spectat ad insulas; vtcunque haberi in fabulis soleat, quod de Delo, Rhodo, aliis nonnullis memoratur; Plinius aliique enarrant suis natas temporibus; celebrisque præ ceteris est, quæ inter Theram, & Therasiam suborta à Strabone describitur; erumpentibus scilicet ex medio mari flammis, itaut vniuersum ferueret; quo vsque demùm veluti exstructa ex massis candentibus insula apparuit, ambitu stadiorum duodecim; ad quam Rhodij primi ausi fuerint accedere, postquàm incendium penitùs desiit. Ne nostrum certe sæculum consimili ostento careat, ecce ex literis fide dignis habeo, anno 1638. à Iulij Kalendis in Eidus, ita cæpisse eructare Vulcanum (sic literæ habent) non admodùm procul ab Insula S. Michaelis, quæ Azorum, seu Tercerarum vna est, & quà mare quidem altum est brachiis centum sexaginta, vt inde efformata fuerit Insula longitudinis trium leucarum, latitudinis Ses-*

qui-leucæ, altitudinis sexaginta brachiorum: atque id quidem excitato fragore creberrime eructatorum, recidentiúmque lapidum horrendo, & qualem credere vix liceat. Dicerem aliquid de lapidum pluuia, quam, cuiusmodi sit habenda, ille pagina 998. describit. Verùm quia tu nullam occasionem facis, vt dicam de ea aliquid; id circò illa supersedeo.

Quoniam verò te interim properantem ad finem video, quæso hoc etiam loco, & priusquàm à tua discedas historia, vt id ostendas, quod præmisisti, confirmare illam, *omninò supradictos lapides in aëre fuisse genitos & excoctos in nube ignea.* Nam testes quidem, quos reputabas te habere, prorsus non habes; neque interrogatiuncula tua efficit, vt lapides illi extrudi è terra subiecta, etiam aquæ stagni substante, non potuerint. Age ergo Morine, agedum; & nisi rationem habes aliquam (& quomodo haberet, qui ratione caret?) dic nihilominus tandem aliquid. *Circa hanc historiam*, inquis, *duo obiter notanda sunt.* Ita-nè Morine! Equænam sunt illa? exspectandum enim, vt quia agitur de insigni quadam *Falsitate contra naturam*, ingens quoddam naturæ arcanum, tu scatens arcanis, quasi oraculis, pandas. *Primum*, inquis, *quòd ipso die fiebat ex Keppeleri Ephemeridibus, Coniunctio magna Saturni, Martis, & Veneris, in 18. gradu Sagittarij, partiliter; erátque Mars dominus horoscopi, & Venus domina septimæ domus, quæ bellorum est in Themate cælesti: Iupiter autem coniunctionis dominus erat in domo Solis, quadratus fere partiliter ipsi Soli domino medij cæli, existenti in domo Martis, fueruntque omnes figuræ anguli, tum Iuppiter, & Sol in signis fixis.* Ecquid verò hoc est, fabulantium fabulosissime Morine! ecquid, inquam, hoc est? Putas-tu hæc euulgans, & in ore omnium, oculisque efferens, alloqui te semper consultores credulos, qui se clàm proripiunt, tuáque illa in vico Morfundutorum ostia pulsant? Non putas te, dum hasce chimæras in hortulo tuo deambulans fingis, perinde facere, ac illum, qui declamationem in horto coràm caulibus; quos & sibi auditores fingebat; exercitationis gratiâ recitans; cùm deinceps pro suggesto voluit agere, & verorum auditorum stupefactus præsentiâ obmutuit, adiecit

tamen excusationem hanc, O Domini mei, vos non estis caules? Quid enim? Putas posse te publico etiam scripto hæc plusquàm anilia deliramenta propalare, & caules tantum alloqui? Putas Lectores emunctæ, naris, qui præ futilitate tua subsannantes, ruborem tibi incutiant, teque caute Marpesia stupentiorem faciant, non fore? Quidenim, inquam? Fuerint eo die Saturnus, Mars alij Planetæ in eiusmodi cœli locis, quos Ephemerides describunt: Fuerit etiam, vt tibi hoc donem, quispiam sedulus obseruator, qui Astrolabio obseruârit præcisum momentum natiuitatis lapidum, à quo deinde tu id momentum didiceris, potuerísque adeò exinde natalitium Thema horum lapidum sic extruere, vt omnes figuræ anguli in signis fixis deprehenderentur; nè si vel horæ dimidio, seu ante, seu pòst, contigisset natiuitas, neque Mars bellorum pater, dominus foret horoscopi; neque Venus, Bellona effecta, domina domus septimæ; neque Sol bellis etiam fauens tanquam hospes Martis, medij cœli dominus. Fuerint inquam, hæc, & si velis plura, ô somniis tuis Astrologicis fascinatissime, infatuatissiméque Morine! ergo debuerunt illo die huiusmodi lapides in aëre gigni, in nube ignea excoqui, & talibus quidem cum fragoribus, quales per bella excitare ex te debent Mars, Venus & Sol, cùm domini sunt angulorum illorum, in Carolotensi comitatu extrudi? Igitur tu si fortè attendisses ad illud momentum, potuisses illis militibus, qui supra aggerem transirent, prædicere iri eos lapides genitum, eósque fragores excitatum, ex quibus fierent *velut mortui, finem mundi adesse putantes?* Igitur posses in futurum aliquem consimilem casum quopiam vel tempore, vel loco euenturum prædicere? ô te miserum! qui non potuisti ipse tibi prædicere casum lamentabilem, hoc est fragores aduersùm te à paucis mensibus excitatos; cùm tota vicinia in te proruit, quà fustibus, quà lapidibus, quà sedilibus, quà aliis huiusmodi armis primùm occurrentibus, furore ipsa ministrante: qui non possis ea, quæ te manent consimilia prædicere; quantum quidem licet, non ex figuræ angulis, sed ex rebus præteritis iudicium ferre de futuris! Verùm ne hîc præoccupem, quod

secundo tuo notando, editurus es, illud auscultemus.

Secundum, inquis, *quòd anno sequente 1635. Galliâ bellis ciuilibus, & extraneis adhùc vigentibus, admodum attenuatâ, Cardinalis Richelius, inconsultis Regni comitiis, aut Senatibus, sed sponte propria, horrendum bellum inter Reges Galliæ, & Hispaniæ declarauit, quod adhuc perdurat, quamuis omnia passim ad extremam desolationem redacta conspiciantur: sed de his non est hîc plura dicendi locus* O insane! quàm consultiùs egisses, si ne hilum quidem & hoc loco, & nusquam de his rebus dixisses! Sed in hoc priusquàm animaduertam, agnosco interim quò respexeris, dum natalitiam lapidum figuram ex bellicosis angulis priore Notando instituisti. Scilicet, quia fragores illi, ex generatione lapidum creati, excitati fuerunt *in Comitatu Carolotensi, cuius dominus Rex Hispaniæ, sed cliens Regis Galliæ*; id vis portendisse bellicos fragores, qui ab anno vsque insequente inter Reges Galliæ, Hispaniæque fuere excitati. O infœlicem declamatorem, qui agere te putas coram caulibus! Et audes-tu Gassendum, tantum fabularum osorem, fabulis Lectores pascentem caussari; tu fabulas tantas illicò obtrusurus? Saltem si ex portento quodam simili, quod contigisset, exempli causâ, ad Dunkercam, cuius Rex Galliæ dominus, sed cliens Regis Hispaniæ erat, insomnium hoc tuum deduxisses; potuisses videri in concione mulierculärum aliquot, non sine pretextu id declamitare; quandò de oppido Dunkerca non sine bellico fragore decertatum est, ac in toto Carolotensi Comitatu, quid simile actum? Quid? quòd, cùm lapides illi omnes fuerint quasi fulmina bruta, quibus neque hominum quisquam, neque vllum animal nocumentum acceperit; posset res à te cum ejusdem concionis applausu efferri, si pari modo & incruentum, & sine cuiusquam pernicie bellum id excitatum fuisset: verùm, cùm tu ipse istud diffiteare; qua fronte audes ex eo fragore istud bellum deducere? Sed ineptus sim, si rem tam absurdam, tam ridiculam insequar: &, cùm tu contendas Martem, Venerem, Solem, rêliqua Astra respexisse ad istos dominij, clientelæque titulos, ac portendisse Regi Hispaniæ Madriti degenti, huiusmodi bellum,

quòd comitatum Carolotensem obtineret in Gallia, ceteráque huiusmodi; non, inquam, mihi satis sit, apponere hoc loco, quod sæpe ex ore Gassendi audiui, nescio vtrùm ex Seneca, ex Plinio, aut vtróque. *Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moueātur. Non est tanta nobis cum cælo societas, vt nostro fato sit ille quoque siderum fulgor.* Quod superest, non extimuisti, insane! ne publicus cognitor, Procurator-ve Regius in te animaduerteret, reumque in iudicium te traduceret, quòd tu, nihili homo, tam irreuerenter, tam impudenter, tam insolenter Regem Christianissimum, Regem tantum, quantus fuit memoriæ fœlilicissimæ Ludouicus decimus-tertius, pro nihilo habueris; dum, quasi ipse nihil cogitaret, nihil nosset, nihil ageret, ausus es scribere ipsum fuisse Cardinalem Richelium, qui tanquam Rex Regis, ipsique imperans, ac adeò Regio iure vsus, bellum Hispano indixerit, ipsósque inter se duos Reges commiserit? Ecquis enim erit Maiestatis reus, nisi ipse hac occasione sis? Esto, fuerit, vt reuerâ fuit, Cardinalis Richelius Minister incomparabilis: is fuerit cuius sagacitate, prudentiâ, consilio, Rex inuictissimus vteretur: Anne propterea debuisti tu, ô pumilio! ô nebulo! ita Regem tantum habere contemptui, vt illi nihil tribueris! vt saltem eius authoritate bellum fuisse indictum reticueris! vt dixeris solùm, *Cardinalem Richelium, inconsultis Regni Comitiis, aut Senatibus, sed sponte propria horrendum bellum inter Reges Galliæ & Hispaniæ declarauisse*? Et, an-ne, quantum-ve sit crimen publicè efferre, non posse Christianissimum Regem indicere bellum, inconsultis Comitiis, aut Senatibus, disceptare meum non est (qui hac occasione solum adnoto assentari te & Comitiis, vt ex iis stipem, de qua superiùs quidquam attigi, colligas, & summo Senatui, vt si forte ad illum reus deferaris, conciliatum habeas) verùm ius belli indicendi abstulisse Regi, vt illud transferres in Cardinalem Richelium; non video qui possit id crimen à publicis ac Regiis animaduersoribus tolerari. Prætereo quàm iniurius, & ingratus sis aduersùs tantum Cardinalem, à quo tot bona accepisti, & cui maledicere tamen tam priuatim quàm publicè

ce non desinis, eo dumtaxat nomine, quòd exsatiare immensam tuam auiditatem noluerit, dum, ob tuam illam chimæram longitudinum inuentarum, contendisti tibi ab illo deberi montes aureos. Nempe hoc loco illi attribuis non modò vsurpatam tyrannicè authoritatem, quam ille tamen semper suo Regi tectam, sartámque voluit; sed etiam omnia mala ex diuturno bello exorta, tum illi directè, tum indirectè Regi imputas (cùm virum bonum Patriæque amantem reiicere potiùs decuisset in illam Hispani ambitionem, quæ eò iam tum euaserat, vt faceret Regi Christianissimo belli indicendi necessitatem) attribuis, inquàm, neque metuis, ne illi pœnas à te exigant, quorum interest beatos manes à maledicentia tua tam insana, tam virulenta vindicare. Prætereo id, inquam, obseruoque dumtaxat, qua fronte exaggerare ipse ausis, bellum horrendum adhuc perdurare, & omnia passim ad extremam desolationem redacta conspici; cùm tu ipse non postrema sis huiusce & perdurationis, & desolationis ob factam à te Prophetiam perniciosam, causa: vt iam antè deductum est.

DE CONCLVSIONE.

HActenùs fuere falsitates, quas insigni malitia seligere, & falsò imputare viro veritatis amantissimo, tu qui es errorum scatentissimus, fategisti. Superest tua illa conclusio, quæ quasi absurda appendicula illigata est caudæ extremæ ridiculi Muris. In ea sic peroras. *Atque hæc pauca circa Epicuream Gassendi Philosophiam, ad ingeniorum antidotum, exposita sunto; quandoquidem ipse in Epicuri vita, quam octo libris edidit, per sanctum, doctissimúmque Philosophum Epicurum passim iurare, eiusque discipulos ad cælum vsque tollere videtur; cùm tamen in scholis publicis hæc Spuria Philosophia à vera Philosophia professoribus sit in perpetuum exsibilanda; multòque magis ab Ecclesia Catholica (cui in multis, ac præsertim in mundi fabrica, & telluris motu aduersatur) Anathema-*

te ferienda. Maligniſſime impoſtor Morine! qui cùm, mali Poëtæ inſtar fabulæ exitum non reperias, ad hanc machinam confugis; & dignam tua improbitate opuſculorum deterrimo metam hanc ſceleſtiſſimus, flagitioſiſſimuſque imponis! *Pauca* dicis *expoſita*, imò prꝫter ſparſa vbique tuæ virulentiæ, ignorantiæque veſtigia, nihil eſt, quod expoſueris; neque ſi aliud nihil fuiſſet in tua diſſertatiuncula, ea mihi habenda ridiculus mus, ſed ne pulex quidem, aut acari fuiſſet. Nunc autem illis à capite in extremam caudam reſperſis, poteſt ea quidem mole patua (vt tu etiam dixiſti initio) cenſeri; ſed nempe eo modo, ac ſenſu, quo à Poëta dicitur,

Mole breuis ſeps, peſte ingens.

Dicis illa expoſita *ad ingeniorum antidotum.* O te egregium antidotarium! Et quod-nam antidotum adhibuiſti? imò quod potuiſti adhibere, tu, qui totus venenum es, neque inſtar Theriacæ adiunctum habes aliquid, quo malignitas tua temperetur? Quid protuliſti aduersùs illa Epicuri dogmata, quæ antidoto indigent, vt ſunt quæ ſpectant ad Prouidentiam, ac animi humani immortalitatem? Quid inquam! cùm ne illorum quidem mentio abs te facta ſit vlla, tantum abeſt, vt peti quodpiam antidotum ex opuſculo tuo poſſit? ô agyrta! omnium agyrtarum impudentiſſime, fallaciſſiméque, qui præter inanem jactantiam, oſtentare nihil valeas! quippe qui non modò antidotis careas, non modò careas pyxidibus; ſed ne inſcriptiones quidem, ſiue titulos in tuo infœlici promptuario, in tuo inani Pharmacopolio habeas! Illud te angit, excruciátque, ô liuidiſſime Mortalium, quòd vti Epicuri Philoſophia aliquo indiguit antidoto, id fuit à Gaſſendo ita adhibitum, vt & laudem propterꝫà apud omnes bonos fuerit meritus, & reliquum nihil fecerit, quod tu præſtare, ô Medice, vt inuidentiſſimè, ſic infortunatiſſimè, potes. *Quandoquidem videtur*, inquis, *in vita Epicuri per ſanctum, doctiſſimúmque Philoſophum Epicurum paſſim jurare.* O Rhetoricator ineptiſſime, & niſi ex plebeculâ viliſſimâ flores orationis captare non valens! *Per ſanctum Epicurum*; ô quàm exſiliiſti! quam tibi applauſiſti!

quàm ſolertiam tuam obſtupuiſti! cum ex eo, quòd Gaſſendus oſtendit ex authoribus exceptione maioribus, fuiſſe Epicurum virum bonum, virum ſobrium, virum continentem, ſecus ac tui ſimiles calumniati illum fuerant, ſecus ac tu literaturæ germanæ ignarus, perſuaſus fuiſti; ſecus ac perſuaderi tecùm ceteros mortales voluiſti; bella cogitatio tibi incidit, poſſe illum dicere effectum à Gaſſendo ſanctum, vti in ſacra Religione illos, qui è vita puri exceſſerunt, & inter indigetes referuntur, ſolemus ſanctos dicere? Quaſi verò, ob tuas, tuíque ſimilium improbiſſimas ſannas, non debeant viri eruditi, candoriſque amantes, & pleni, vindicare à calumniis quam animaduertunt iniuſtè oppreſſam innocentiam; ſed te potiùs, ac ceteros calumniatores imitari, qui ſemel oppreſſum, cauſâ indiſcuſſâ, opprimitis magis; & propendentem in præcipitium, vlteriùs ſemper propellitis? *Paſſim iurare*: Dic verò, impoſtor! vbi-nam in tota Epicuri vita, non dico paſſim, ſed vel ſemel Gaſſendus iurare in Epicurum viſus eſt? Et non-ne potiùs ab ipſa vſque præfatione teſtatus eſt, *ſe, quamuis Epicuri vitam, ac morum ipſius Apologiam ſcriberet, doctrinámque interpretaretur, non proptereà tamen dare illi nomen, nec ſe Placitorum ipſius vadem, ſponſoremque præſtare*? Nonne illud quoque adiecit, *eam ſibi eſſe mentem, vt quoties non modò ad illa grauiora capita perueniret, ſed etiam quoties quidpiam occurreret, vel quam-minimum fidei ſacræ diſſentaneum, in Epicurum neruos contenderet, ac eius ſententiam, quam-maximo ſemper rationis vigore poſſet, conuelleret*? Et non-ne reuerâ ſuis ſtetit promiſſis? Poteſ-ne arguere, quod non ſteterit? Hoc verò eſt-ne illum *videri per ſanctum*, vt fert tua bella Ironia, *Epicurum iurare*? Sed nimirùm tu, qui ignarus, æque ac malitioſus es, nihil inter mores, placitaque diſtinguis, ac nihil aliud cogitas, quàm ſi quoquo modo in te ſit, vt conflare inuidiam in optimum Gaſſendum poſſis. Ringeris, quòd cum exiſtimaſſes deprehenſurum te in Gaſſendi operibus, fauere illum aut moribus, quos fuiſſe Epicuro prauos, corruptoſque putâras, aut omnibus eius opinionibus, etiam iis, quas fuiſſe aut impias, aut libidinoſas crediderâs; excidiſſe te tua ſpe vi-

deris: ac iam, tametsi nihil deprehendas, quod reuerâ culpandum sit, desperatione tamen adductus, in eam rabiem adigeris, vt non desistas rictum ostentare, dentibus nudatis, pressisque infrendere, & commordere lapides, quos pro eodem, ac manum habes. *Eiusque discipulos ad cœlum vsque tollere.* Quàm hîc iterùm ringeris, infœlix! Non extulit Gassendus in cœlum Epicuri discipulos; sed tua est inuidia, ac malignitas, quæ te ad inferos detrudit. Nolebas neque Epicurum, neque illius Sectatores reputari benè moratos; & quia ille Authores classicos citauit, ex quibus sentiendum secus videretur, tu id patienter ferre non valens, putasti fore, vt res Gassendo magno verteretur opprobrio, si exaggerando, amplificandoque diceres illum *discipulos Epicuri efferre in cælum.*

Porrò, vt magis adhuc ringaris, non tibi hîc oppono, quæ ad Doctrinam pertinent, cùm ad hoc caput vel id sufficiat, quod Seneca habet, dum, *Mea*, inquit, *sententia est* (*inuitis hoc nostris popularibus*, è quorum numero, tu, Morine, *dicam*) *sancta Epicurum & recta præcipere, & si propiùs accesseris, tristia.* Ac rursùs, *non dico quod plerique nostrorum* (è quibus iterùm tu Morine) *Sectam Epicuri flagitiorum magistram esse; sed illud dico, male audit, infamis est, & immeritò.* Seligo solùm paucula, quæ vt ad Epicuri, ita ad discipulorum eius mores spectent. Ac primùm quidem Laërtius vbi Epicuri calumniatores *insanire* dixit, subiungit, *Quippe quàm fuerit in hocce viro super-excellens erga omneis animi candor, & æquitas; testes locupletes habentur; tum Patria, quæ ipsum statuis æneis condecorauit; tum amici, quorum tanta multitudo exstitit, vt viderentur ne posse quidem ciuitatibus totis contineri; tum discipuli, qui fuere omnes doctrinâ illius quasi sirenibus detenti, excepto vno Metrodoro Stratonicensi, qui fortè eius bonitate modum excedente veluti oppressus, defecit ad Carneadem; tum schola successio, quæ cæteris omnibus propemodum deficientibus, constans perseuerat, & præfecturas discipulorum innumerabileis ex ordine statuit; tum plena gratitudinis erga parentes pietâs, & erga seruos mansuetudo (quemadmodùm intelligi licet, vel ex ipsius testamento, & ex eo, quòd illi Philosophati cum*

ipso sunt, ac ille imprimis celeberrimus, qui iam est nominatus, Mus) tum vt paucis dicam, promiscua erga omnes beneuolentia. Cicero autem, *Epicurus*, inquit, *minimè malus, vel potiùs vir optimus.* Et deinde, *coluit*, inquis, *Epicurus amicitias? Quasi quis illum neget & bonum, & comem, &* humanum fuisse? Ac rursùs, *vaneunt*, inquit, *eius scripta probitate ipsius, ac moribus. Nam ista commendatio puerorum* (supple in testamento) *memoria, & charitas amicitiæ, summorum officiorum in extremo spiritu conseruatio, indicat,* &c. Et iterùm; *Neque vero*, inquit, *Epicurus amicitias oratione solùm, sed multo magis vita, & factis, & moribus comprobauit; quod quàm magnum sit, ficta veterum fabulæ declarent, &c.* Ac statim, *At vero Epicurus in vna domo, & ea quidem angusta, quam magnos, quantaque amoris conspiratione consentienteis tenuit amicorum greges; quod fit etiam-num ab Epicuris.* Vnde & alibi; Sustinuero, inquit, *Epicureos tot meos familiares, tam bonos, tam inter se amantes viros,* &c. Et rursùs alibi, *ac mihi quidem*, inquit, *quod & ipse vir bonus fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie sunt, & amicitiis fideles, & in omni vita constantes, & graues, nec voluptate, sed officio consilia moderantes.* Ac iterùm alibi, de Epicuri sectatoribus loquens, *Nullum*, inquit, *fuit genus hominum minùs malitiosum.* Hîc illa prætereo, quę ad ceteros mores attinent, quęque satis commemorata in Epicuri vita sunt; cùm abundè ex illis constet fuisse, verbi gratiâ circa sobrietatem, tum Epicurum ipsum, *Pane simplici, & aqua contentum (nisi si quando volens lautius epulari non-nihil casei adhibuit) non expendisse illum in singulos dies assem integrum; ac habuisse etiam dies aliquot, in quibus malignius extingueret famem; visurus an aliquid deesset ex plena, & consummata voluptate; vel quantum deesset, & quàm dignum, quod quis magno labore pensaret:* Tum illius Sectatores *contentos fuisse vilissimis*, & frugalissimis cibis; hoc est pane, *aut maza, fructibúsque; itémque vinuli hemina; imò & aquam quamlibet primum occurrentem potui illis fuisse*; atque ita de ceteris. Prętereo, inquam, ista, cùm priora sufficiant; vt exinde appareat, quâ carparis inuidiâ, dum exaggeratione circa Epicurum, eiusque Sectatores tuâ,

niteris Gassendo probro vertere, quòd reiterata, ac longè plura ex probatis authoribus in veritatis gratiam citârit. Priora, inquam, quę aliunde tibi opposita, digito commonstrant, quàm tu ab illorum absis indole; cum, *vt illi fuere viri omninò boni, imò optimi, nullúmque fuit genus hominum minùs malitiosum*; ita tu ex opposito sis omninò malus, imò potius vir pessimus, ac reperiri nemo possit, qui sit, quàm tu, magis malitiosus. Quò fit, vt te merito iure comparem cum illo impostore, Pseudomantique Alexandro, qui legitur apud Lucianum suam malignitatem, maledicentiámque aduersùs tam Epicureos, quàm Christianos exercuisse; quòd ipse vtrisque dissimilis, detegi ab illis suas imposturas, artesque diabolicas obseruaret. Quippe tu nihil simile habens, neque descriptis illis Epicureorum moribus, neque Christianorum singulari virtuti, charitati, simplicitati, deprehenderis perinde malignus, & maledicus aduersùs illos, qui ex Epicuri principiis tuas imposturas detegunt; & Christiani cùm sint, Astromantiam tuam, tanquam artem diabolicam, & toties à sanctis Patribus, à summis Pontificibus, ab Ecclesiâ damnatam, reiiciunt.

Iam iis, quę consequuntur, verbis, *Cùm tamen in scholis publicis hac spuria Philosophia à vera Philosophiæ Professoribus sit in perpetuum exsibilanda, multòque magis ab Ecclesia Catholica, &c.* Id agis, vt tibi Gassendus dicere illud possit, quod ad Lucullum Cicero; *Quid me igitur in inuidiam, & tanquam in concionem vocas? & quidem, vt seditiosi solent, occludi tabernas iubes?* Tu videlicet, perdite, ac effrons, & quo non alius ad excitandum seditionem est comparatior, hîc sonas velut classicum, quo aduersùs Gassendum ob eam, quam est interpretatus Philosophiam, tum concites scholam, tum Ecclesiam prouoces; vt quod facere per te non es potis (ille videlicet te ridet, vnguem tibi ostendit medium, ac simùl tibi laqueum mandat) ipsæ & schola & Ecclesia faciant; hoc est, illa quidem disputando, hæc verò excommunicando, ipsum obruant. Enim-verò rumparis licet, bene illi, Deo propitio, & cum schola, & cum Ecclesia conueniet; ac tu ab vtráque reputabere non modò ineptus nebu-

lo, vt qui te in negotium nihil te attinens, tibíque imperceptum intrudas; sed sycophanta etiam egregius, ac impostor dignus, quem schola virgis verberet, Ecclesia fulminibus feriat. Nam primùm quidem, ex Philosophia nihil aliud, quàm voculas aliquot peruersè acceptas, & argumenta paucula prauè, pro infœlici captu, intellecta, ac detorta callens, eò insaniæ adigeris, vt, quoniam videris tibi prætulisse misello hoc tractatulo insignem facem, quà veritas ipsis etiam Philosophiæ Professoribus commonstretur (quasi ipsi illam sine explicatis, refutatisque à te Philosophię Epicureę hypothesibus non possent ipsam assequi) futurum præsumas, vt illi hanc, quam tu improbaris, Philosophiam improbaturi sint, ac debeant, quia tu ipsis fueris quasi signifer, ad tuas accedere partes. Infœlix! qui nescias quanto illis sis probro, vt qui te aliud nihil, quàm futilem Astrologastrum, aut si quid præterea, Loquutuleium Cauillatorem habeant; cùm aliundè Gassendi nomen non sine aliqua apud illos commendatione vigeat, agnoscentes videlicet, quo candore philosophetur, qua perspicuitate id quod sentit, enunciet; ac perspectum simul habentes, si quando ille à receptis vulgo opinionibus recedat, non facere id illum præ ignoratione rationum, quibus innitantur; quòd fuerit & ipse Professor, ac manifestum passim faciat, quàm euolutârit Aristotelem, illiusque Interpres Græcos, Arabes, ac Latinos. Dicere possem aliquos esse, etiam ex celebrioribus, qui ipsum non parùm suspiciant; Verùm nolo rem trahere in inuidiam; cùm mihi sit satis fore neminem, qui non agniturus sit Philosophiam debere illi plurimùm, si quandò præsertim contingat, vt quæ reliqua ille habet ex vniuersa Philosophia, patiatur prodire in lucem. Nempè qui tractatus respersi per Epicuream Philosophiam sunt, nihil aliud sunt, quàm decerpta membra (& plerumque quidem etiam mutilata, hoc est compendiosè relata) ex integro corpore; id quippe prout occasio tulit, aut amici variè obtinuerunt, vt animaduersionibus, quæ sub prælo erant, interfererentur. Testari ipse certè possum, qui in eius scriniis vidi omnia, quàm sit expectendum vt illa tam multa, quæ visa nondùm fuere, edantur;

vt sunt inter alia, quæ commemini Philosophatum illum esse de mineralibus, de plantis, de animalibus; ac de istis quidem præsertim; cum vel duo illi tractatuli in appendicem translati luculentum sint specimen reliquorum. Vtcunque sit, esse illum noui ea animi moderatione, vt suaue habiturus sit ab eximiis Philosophię Professoribus sic redargui, vt siue quid prauè sit interpretatus ex antiquis Philosophis, siue quidpiam ex se efferens non rectè, ac verè opinatus sit, ab iis dedoceatur, atque corrigatur. Te quod attinet, illud scito, quod est inculcatum aliquoties, eo te apud illum esse pretio, vt teque, & iudicium, tuasque omnes quisquilias minoris, quàm nihili ducat. Quod deinde ad Ecclesiam spectat; ostensum iam antè est satis abundè, non Gassendum sanè, sed te ipsum esse, qui ab eâ feriri anathemate debeas, quatenùs ad insignem illam rerum Sacrarum ignorantiam, & sacrilegam falsificationem, addis eam, quæ ferro, & catenis sit compescenda, proteruiam, vt authoritatem summorum Pontificum in dubium vertas, & interpretatiuncularum futilissimarum prætextu, illorum Bullas, decretáque, quibus euidentius esse nihil valeat, nihil sanctius esse debeat, deludas, ac nihili facias. Quod interim dicis, *præsertim in huius mundi fabrica*, vt illud, quod te semper angit, *& Telluris motu*, possis addere: semper te, vt improbissimum ita ineptissimum prodis. Nam quòd Epicurus quidem peccârit circa huius mundi fabricam, tam parùm est opus, vt nouo feriatur anathemate, quàm vt feriatur quòd Aristoteles peccauit, mundum faciens æternum. Quod superest autem, cùm Gassendus eo, quo potuit animi vigore Epicuri errorem refutauerit (mundi nempe fabricam Deo, prout in sacris literis est, declaratum, asserens) vis-ne eius refutationem, assertionémque Deo factam anathemate ab Ecclesia feriri? Vis-ne proindè scripta, & illius & ceterorum omnium, qui aduersùs mundi æternitatem pugnant? Ad Telluris motum, quod spectat, nihil est addendum adea, quæ sæpius declarata sunt, maximéque in Apologiâ aduersùs tuas Alas fractas, quæ ideò tibi hæret, æternúmque hærebit, tanquam lateri arundo lethalis, quamque eximi tibi ab Ecclesia nequicquam

quicquam hûc-vsque requisiveris; cùm & merearis, vt illa potiùs supplicij loco tibi sit, maneatque indiuidua comes ærumnosæ illius inuidiæ, quâ ob res Gassendi opimas macrescis, quáque olim Siculi tyranni tormentum maius non inuenerunt. Sic nempe efficeris iure, quasi alter Tityus, cui

rostro immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

Ad te iam conuertor, seu reuertor potiùs, Capella amicissime; nescio enim quo impetu apostrophe adeò prolixâ passus fuerim me abripi; sed perditus nempe ille nebulo, ira coërcendus mihi visus fuit, vt esset omninò in faciem, toruisque oculis increpandus. Ac vereor quidem, ne non proptereà erubescere condidicerit; quandò omnem frontem, quod de deplorata muliere, aiunt, deposuit; totaque illi cutis, vt leproso, occalluit: Verùm ipse me ad id comparo, vt occasione proxima (quam siue magnam, siue paruam ille haud-dubiè faciet) etiam quasi fustes adhibeam, & quasi stimulos admoueam; vt se ad vsque liuorem cædi, ad viuum vsque compungi sentiat. Hactenùs fuit ridiculus mus, cui quasi concluso in muscipula, ludo fuit illudere: exspecto donec prodeat Sorex, quem discerpam, ac exteram; montemque, qui illum parturierit plano solo exæquatum faciam. Non hæreo verò, quin tu quoque, vbi misellum opusculum tibi in manus inciderit, ac meum istum conatum aduersùs ipsum peruideris, tum indignatione mouearis, tum comparaturus te sis (nisi hac eadem occasione, saltem proxima) vt quia ille numquam non furit, numquam non ipsi pectus anhelum, & rabie fera corda tument, aut appares laqueum, quo se strangulet, aut catenam nectas, quâ sit reuinciendus.

Restant ex libello infœlici tum pauculi versus ad calcem pagellæ 31. tum tota pagella 32. quæ eadem extrema est. Verùm quia totum id residuum non aduersus nostrum Gassendum, sed aduersus Cartesium est; ideò circa ipsum nihil immoror; sed castigandum virum relinquo cuipiam ex illis eruditis, quibus vt vir magnus dum esset in viuis, veneratione maximæ fuit, ita illius vitâ functi manes cari impensè sunt,

vt. proindè videatur posse iure ad illos dicere,

Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor.

Mihi satis est obseruare immensam huius nebulonis vanitatem, ac impudentiam, qui, quia magnum est Cartesij nomen, idcircò illum hîc deprimit, vt post modùm se euasisse illo, Gassendoque, vnâ operâ, superiorem iactet. Ne dubita enim, mi amice, quin visurus sis, aut in illius Astrologia, si aliquando tandem prodeat, aut in miserando alio opere, captatum ab illo occasionem iri, quade inani, & Atomis loquens, remittat Lectorem ad ea, quæ aduersus Gassendum, & Cartesium copiosè differuerit. Prorsùs, quasi vnâ pagellâ opinionem Cartesij ex integro discusserit, qui & vix illam attigit, & sic attigit, vt non ipsam, sed oppositam proposuerit. Dicit siquidem opinionem Cartesij *Atomis & inani initi*; cùm expressè tamen Carthesius & *particulas suas esse Atomos* negauerit, & *inane* seu *vacuum* planè prorsusque sustulerit: vnde & statim blatero sui immemor, dixisse illum, ait, *impossibile esse dari vacuum*; nisi quod *vacuum* & *inane* diuersa esse hic bardus putauit. An-non verò etiam id mirabere, quòd leoni mortuo barbam vellat? nempe qui illius viui rugitum, vel turri ahenea conclusus horruisset, locum iam præbet illi Prouerbio, *Mortuo leoni & lepores insultant*. Satis fuerat loci, vt in illum, si quidquam habuisset animi, insultaret (sed illum nimirum tanquam Herculem clauâ imminentem extimuit) vt intelligi ex literis licet olim à Cartesio ad Mersennum datis. Siquidem Morinus Cartesium rogârat, vt aliquid sibi de natura lucis edissereret, ille eius votis cum fecisset satis, & rescribente iterùm, terriúmque Morino, non posse illum assequi suam mentem, ac nihil aliud, quàm nugari, & de re sibi non intellecta rixari animaduertisset, ipsum mero despectui habuit, questúsque apud Mersennum est, quòd transdendas reciperet literas tanti nebulonis. Ne dubita verò rursus, mi amice, quin visurus etiam aliquando sis fore, vt ille se olim efferat, quòd os Cartesio obduxerit, quantum attinet ad naturam lucis. Verùm tempus est vt iam denique quia coruo estarrior, ad coruos eum mittam. Tu vbicunque fueris, mi Capella, bene semper Vale. Parisiis III. Calendas Martias 1651.

ODE,

ET PALINODIA IN Morinum Aſtrologum, authore Belliloco.

Bellilocus Colletetto ſuo S.

ROGARAT Morinus noſter Aſtrologus, vt ego aliquid in eius laudem canerem, quod ſe, ſuáque carpentibus opponeret. Hoc autem, quoniam laudum, vt appetentiſſimo, ſic repulſæ impatientiſſimo homini abnuere formidoloſum erat, viſum mihi rem tutiſſimè aggreſſum iri, ſi Oden contextu ambiguo conderem, quæ ſic falſa eius encomia decantaret, vt quæ reuera in ipſo ſunt vitia ſugillans, virtutes Maximi illius Viri, cui ad rabiem vſque infenſus ſtolidè vaticinando mortem precatur, apertiſſimè commendaret, leui ſcilicet immutatione vocum. Hanc autem quampri-

*

mùm habere liquit, statim vulgauit Astrologus eo in libro, cui titulus est, RESPONSE SCANDALEVSE A L'APOLOGIE DV R. P. DV LIRIS, vbi refers ipsam quoque te legisse (& cum tantus in Poëtica sis) non sine stomacho, ob fœdos in carmine lapsus, hiantes alicubi lacunas, & verba præter nugas nihil sonantia, quibus omnibus subscriptum nomen meum nolles. Iure quidem; fateórque me idcirco tecum etiam indignari, cum is sim, qui velim saltem haud imperitus videri Poëta: Atqui hac spe profecto longe caderem, si mea Morinus pergeret edere opera, cum nulla edat nisi corruptissima. Quam-ob-rem si procurante ipso aliquid mendi subrepsit in hoc Poëmatio, ipsi vni imputabis, cui solemne est sibi non intellecta vbique peruertere, barbaráque continuo substituere, quod videlicet in septimo horum carminum dimetro ineptissimè fecit, vbi pro *dedisti & illa Orbi integro*, spreta metri lege, maluit reponere, *Mundo integro*, qua voce vulgum sequutus passim vtitur, quoties aut hunc terrarum Orbem, aut Mortalium genus designare conatur. Deinde quia forte, sibi conscius erat, mentem habere (si mentem habet) omnino impiam, vocem, *pia* in penultimo item dimetro six exhorruit, vt obliterata ea claudicantem versum ire iusserit. Ac denique cùm in omnium postremo dictionem *bibet* suspicaretur bibacitatem exprobrare sibi, ex expuncta aliam succenturiare placuit (nempe *volet*) quæ prorsus à sensu aliena efficit, vt tota oratio, aut nugatoria sit, aut nescio quid inane effutiat. Itaque vt in-

telligas me non eſſe, qui peccauerim, ſed illum qui carmen perperam excipiens mutilum ac deforme in publicum emiſit, operæ-pretium duxi integram Oden ſic retractare, vt in meram palinodiam refingerem. Vtrámque hîc habes, illam vtcumque inſtauratam, hanc omnibus membris, numeríſque legitimis, conſtantem. Si quid vero in ea duriuſculi adhuc aut ſubobſcuri tibi appareat, idipſum emollire, ac illuſtrare licebit, quando incudi redditum iterùm carmen totum cum commento vulgabitur. Vale.

ODE
VT A MORINO EDITA.

Morine nostri sæculi magnum decus,
Præclare Longitudinum
Inuentor, & cui gloriæ suæ jubar
Debet Mathesis inclyta:
Chaldæa cedit Galliæ tellus modò,
Arabsque doctus, & soli
Mentes Pelasgi; quidquid & niger suo
Fouit Canopus in sinu;
Romana quidquid extulit virtus Polo:
Germania aut tota edidit
Et quod potentes Principes ardentiùs
Cupiêre magnis præmiis
Accipere, fœlix patriæ his annis tuæ
*Dedisti: & illa * Mundo integro.* *Orbi
Contemne fortis inuidos, & qui tuas
Furantur artês, & tuis
Se ornare frustra (magne vir) scriptis volunt,
Sibique famam acquirere.
Nôrunt Morinum quotquot Europam incolunt
Viri scientes, & canunt.
Tibique quisquis hostis insultat modò,
Ex hoc decus nullum feret.

ODE.

VT EDENDA.

Morine nostri sæculi magnum Pecus,
Præfractè Longitudinum
Inuersor, & cui gloriæ infectum jubar
Debet Mathesis illita:
Chaldæa ridet Galliam tellus modò
Arabsque coctus, & soli
Montes Pelasgi, quidquid & niger suo
Vomit Canopus è sinu,
Romáque; quod illa te extudit virus Polo
Germénque humi tetrum edidit.
Tu quod potentes Principes ardentius
Cupière magnis præmiis
Accipere: fallax patriæ his annis tuæ
Dedisse ais, & Orbi integro.
Contemne fortis inuidos; si quis tuas
Furetur artes, & tuis
Se onerare frustra (magice vir) scriptis velit
Sibi famem acquisiuerit.
Nôrunt Morinum quotquot Europam incolunt
Virum haud scientes, at canem.
Tu igitur quibuslibet hostis insulta modò
Ex hoc decus nullum feres.

Scis quod Gigantes Cœlitum audentes domos
Inuadere, & ſuperum bona:
Suæ ruinæ, triſtis & cladis notas
Liquêre terris, obruti.
Ne dubita, inepto qui tuas niſu volunt
Dotes ſibi hic adſcribere,
Doctorum in Orbe fabulam omnium fore,
Vi veritatis obrutos.
Heros in iſta Cœlitum ſcientiâ,
Contemne repentes humi.
Vnam execrari Solis eximium jubar
Naſcens ferunt gentem: at coma
Non hoc diurni ſyderis minus micat
Minúſque cœteris placet.
Et non micabit gloria hinc minus tua,
Quod imperitus arguit.
Seſe Matheſis inſcium ſat indicat,
Contra Morinum cogitans.
Cui Cathedra ſicut Regia inclytum dedit
Nomen, dedit mens Regia,
Mens lapſa Cœlo, Cœlitum vt nobis opes
*Afferret; & * mens polo* * pia
Altè locanda, Neſtoris quando dies
*Implens, Deûm nectar * volet.* * bibet

VT EDENDA.

Scis quod Gigantes Cœlitum audentes domos
Inuadere, & Superûm bona
Suæ ruinæ tristis & cladis notas
Liquêre, terris obruti.
Ne dubita inepto non tuas nisu volens
Dotes tibi hic adscribere
Docto te in Orbe fabulam omnium fore
Vi veritatis obrutum.
Hærens in ista Cælitum scientia
Contemneris repens humi
Vnam exsecrari Solis eximium iubar
Nascens ferunt Gentem, at coma
Non hoc diurni Syderis minùs micat
Minúsque cæteris placet,
Et non micat gloria hinc minùs Viri
Quem tu imperitus arguis.
Te te Mathesis inscium sat indicas
Contra Petrum illum cogitans,
Cui Cathedra sicut Regia incytum dedit
Nomen; dedit mens Regia.
Mens lapsa Cælo est, Cœlitum vt nobis opes
Afferret, & pia mens Polo
Altè locanda Nestoris quando dies
Te mentiente impleuerit.

11960